



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopvs Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Liber Tertivs, Qvi Est Demiracvlis Sancti Engelberti Archiepiscopi Et
Martyris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

LIBER TERTIVS, QVI
EST DEMIRACVLIS SANCTI
ENGELBERTI ARCHIEPISCOPI
ET MARTYRIS.

Prologus F. CÆSARII Heisterbacensis.

OCVLI Heli caligauerunt, & non poterat videre lucernam Dei, antequam
extingueretur. Lucernam Dei esse eum, cui diuinitus datum est, Ecclesiam
verbo, scripto vel exemplo illuminare, Saluator, qui lux lucis & fons luminis
est, in Euangelio ostendit, cum ait: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio;
sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Quia beatus pontifex En-
gelbertus, cuius actus & passionem in duobus libellis pro modulo ingenij mei dudum
explicavi, minus in vsu habuit gratiam predicandi, siue sacras scripturas exponendi, vel
spiritualiter conseruandi: multorum oculi in illius contemplatione caligauerant, vita forin-
seca in eo considerantes, at postquam per mortem carnis exinctus est, per lucem miraculorum de-
clarata sunt opera eius meritoria, que sibi conquiserat operibus Deo notis, maxime,
vt supradictum est, contritione, confessione & pro iustitia sanguinis sui effusione. Cum
enim heu tristis rumor occisionis eius insonuisset, multi, qui actus eius seculares noue-
rant, de salute eius desperantes, aiebant: Heu modo perdidit corpus & animam. Audie-
rant enim, quod à cognato suo Friderico Comite occisus esset, eo quod eum exhereda-
re vellet. Vnde necesse erat, vt signa eum sequerentur. Signa enim non sunt de substan-
tia sanctitatis, sed quedam indiciu sanctitatis. Nec fuisse necesse, Dominum Episcopum
Engelbertum miraculis clarere post mortem, si vita perfectioris fuisset ante mortem.
Beatus Emergislus & sanctus Agilolphus Colonenses Episcopi, ambo à nocentibus in-
nocenter occisi, martyrio coronati sunt, qui tamen post mortem paucis admodum signis
claruerunt: quia non erat necesse, vt post mortem commendarent miracula, quos ante
mortem commendarat vita sanctissima. Voluit Dominus in martyre suo demonstra-
re, quantum ei placeat pro iustitia stare, & vt occisoribus suis terrorem incuteret per
miracula. Vnde nobis de illo non est dolendum, sed quasi de martyre gloriandum? quia si cau-
sa martyris facit, sicut & facit, & ipse verè Martyr est. Martyris eius meritum duo com-
mendant, videlicet vindicta de inimicis eius, & gratia sanctorum, quam quotidie exhibet
de infirmis. De his miraculis ad iustionem successoris eius Domini Henrici Archipresulis,
aliqua scribere propono, & ea tantum, que mihi à personis veridicis sunt relata, siue à ve-
nerabili viro Gosvino, Ecclesia B. Petri Canonico, ab ore eorum, quos martyr sanauit,
excepta. Praterèa miracula magna & crebra sunt in loco, qui vocatur Guuelsberg, vbi
occisus est: vt ibi spiritu, hic corpore presens esse non dubitetur.

PRAE-

DVos priores libros, Beneuole Lector, de vita S. ENGELBERTI editos vix Surius emendauit, tertium compendificet, quem vt ab vltimâ repeterem antiquitate, contuli eum cum tribus manuscriptis exemplaribus; quorum primum ex Carthusia Coloniensi subministravit mihi R. P. Georgius Garneueldt, in quo cum plurima desiderentur, haudquam mirum est à diligentissimo historiarum scriptore Laurentio Surio Carthusiano in sua^c editione, quædam alioquin vtilia, prætermissa, quæ ego ex aliorum exemplarium fide restitui. Alterum exemplar manuscriptum ex^b Bibliotheca SS. Chryfanti & Dariæ submisit mihi eruditissimus vir D. Hubertus à Castren Decanus Monasterij Eiffliæ. Cui consonat & tertium ex oppido Schvvelmensi à R. D. Hildebrando Busæo mihi suppeditatum, quod velut accuratissimum, plerumque attuli. Hæc ad illustrandas notationum intelligentias præfari debui. Vale Lector & frueri.

LIBRI TERTII.

Caput Primum.

De Hermanno milite in Glibach, quem à paralyſi B. Engelbertus ſanauit.

MILES quidam Hermannus nomine, in pago Glibach duobus & eo amplius annis adeò fuit vexatus paralyſi, vt non niſi ſupinus in lecto dormire, neque aliter quàm aliena opera veſtire ſe poſſet. Aliquando ergo admonitus à fratre ſuo, vt ſancti martyris Engelberti meritis ſalutem donari ſibi peteret, ille reſpondit: Equidem deportandum me curauit Noueſium ad ſanctum Quirinam, Ruræmundam ad Dominam noſtram, & ad multorum aliorum ſanctorum limina, nec exauditus ſum, fortaſſis indignus exaudiri. Vigente fratre, vt votum nuncuparet martyri, petijt ſe in aream efferri. Ibi iacens in terra, plena fide cum lachrymis votum ſuſcepit, ſi meritis martyris ſanaretur, nudis pedibus, ſine lineis veſtibus ſepulchrum eius ſe aditurum. Poſtridie eodem loco ſimiliter orauit. Putant enim ſimplices laici efficacius eſſe votum, ſi fiat ſub dio, quàm ſub teſto. Tertio die cupiens idem facere votum, cum abeſſent miniſtri, anxie circumſpiciens, vidit ſcipionem apud lectum, & quod nunquam antea fecerat, induit ſe veſtibus ſuis, ſcipionique incumbens, venit ad aream, & iam tertio humi proſtratus, repetit votum. Inde ſurgens, ſentit remiſſius in corpore: ſcipionem è manu cadentem, à terra eleuat: redit lætus in ædes, atque inde ad templum properat. Vxor & liberi videntes eum, nullo ſuſtentante, ambulantes, replentur ſtupore & ecſtaſi, præ gaudio lachrymantur: accurrunt, vt eundem fulciant, ille reſpuit, dicens, à Domino ſuo Epifcopo Engelberto ſe curatum. Venit ad Eccleſiam: coram altari proſtratus, gratias agit Deo & ſancto martyri Engelberto. Poſt preces, ob declarandum miraculum, circumit templum, atque inde domum redit. Vicini gratulabundi accurrunt & martyrem prædicant. Ille quinto die Coloniam venit, nudis pedibus adit martyris ſepulchrum, agit gratias, cuſtodi Eccleſiæ omnia ordine exponit.

Paralytic⁹
votū facit,
& ſanatur.

Mos ſim-
plicium fa-
ciendi vo-
tum ſub
dio.

Bb

Nota-

Notatio ad Caput Primum.

§. Glibach.

Glimbach. **G**libach seu Glimbach pa-
 gus est Ducibus Iulix subie-
 ctus ubi nobile iacet & vetus do-
 micilium familiarum ab Horrich.
 Horrich.
 zu Glim-
 bach.

§. Putant simplices
Laici.

Vota sub
 dio. Emissiones votorum sub dio
 ut efficaciora sint in doctioribus
 & astutis, superstitionis argui
 possent, in simplicibus iudicanda sunt ex illo S. Matth. 6.
 Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum
 erit.

§. Nudis pedibus.

Vota nudis
 pedibus. Viget etiãnum apud rudem plebeculam mos ille vouendi,
 Ich globe ohn Willen vnd Barsussig.

§. Custodi Ecclesix.

Gosvvinus
 Thesaura-
 rius. Custodem hunc Ecclesix nominat Gosvvinum hoc in
 capite manuscripto, forsitan idem, quem auctor in præfat.
 lib. 3. venerabilem virum Ecclesix B. Petri hoc est Metro-
 politanæ, Canonicum vocat.

Caput Secundum.

De puero contracto qui nuncupato voto sanatus fuit.

IN cœnobio Heisterbacensi puer annorum quatuordecim, in domo
 hospitali fuit ad eum contractus, ut ne ventrem quidem exonerare pos-
 set, nisi alienis pedibus deportatus. Eius pater, qui erat ex Conuersis il-
 lius monasterij, ubi audiuit de miraculis Episcopi, ait ad eum: Fili, cum
 solus fueris, fac votum sancto Engelberto. Obtemperat ille, reptat ma-
 nibus



nibus & pedibus, donec esset sub dio, ibique vouet martyri cereum suæ
A staturæ, itemque imaginem ceream. Eadem hora, vt in orantis fide ap-
 pareret martyris meritum, puer cœpit esse meliusculus, redit ad lectu-
 lum commodiùs, quàm indè exierat: ait patri, si adessent duo scipiones,
 videri sibi se posse ingredi, iam beati Engelberti meritis adiutum. Pa-
 rantur scipiones, puer graditur, mirantur omnes. Iam ante ductus fue-
 rat à patre suo Nouesium ad sanctum Quirinum, sed ille hanc curatio-
 nem in nouum martyrem reiecit. Postea venit puer Coloniam, inuisit
 sepulchrum martyris, obtulit quæ vouerat, post preces totus incolu-
 mis, scipionibus illic relictis, postredie ad nos reuersus est pedibus suis.
B Audiant hæc martyris obrectatores, qui aiunt: Si videremus ciues no-
 stros, quos nouimus diu malè habuisse, ab illo curari, crederemus ei.
 Sed illi vel non sunt digni curari ob fidei inopiam, vel eis non expedit
 vt curentur: aut certè qui sic dicunt, digni non sunt videre miracula
 martyris. Nec ipse Dei filius omnes Iudææ morbidos curare voluit: imò
 scriptum est de illo, quòd quibusdam locis non fecerit virtutes multas
 propter incredulitatem illorum. Porro in edendis miraculis, & fides pe-
 tentium, & sanctorum merita requiruntur: quanquàm non rarò Deus
 etiam ingratiss & indignis sua præstat beneficia.

Puer con-
 tractus,
 nuncupato
 voto fit sa-
 nus.

Matt. 13.

C Notatio ad Caput secundum.

§. Puer annorum quatuordecim.

PVERO isti in manuscriptis dicitur fuisse nomen Al-
 bertus.

§. Fili cum solus fueris.

D In manuscripto sic habetur. *Fili quando solus es in gramen do-
 mu contiguum quocunque modo venire satagas, ibique votum S. EN-
 GELBERTO facias, fortè vt cæteris sic & tibi succurreret, obediens
 filius patri manibus genibusq; reptando venit in gramen, in quo orans
 imaginem ceream & sua longitudinis candelam martyri vouit.*

§. Sed ille hanc curationem in nouum
 Martyrem reiecit.

Sancti se
inuicē ho-
norant.

S. Germa-
nus & S.
Martinus.

In manuscripto Casario ita legitur : *Sed noluit eum curare A*
Martyr probatus (QUIRINVS) nouo Martyri nostro ENGELBER-
T O gratiam curationis eius reseruans: ut in ijs etiam impleri videa-
tur, quod Apostolus de viatoribus dicit, honore inuicem prouenientes.]
hactenus msc.

Simili olim modo S. Germanum Episcopum Antifiodo-
rensem in miraculorum patracione S. Martino Turonensi
cessisse refert, c. 6. tractatus sui de reuersione B. Martini è Burgundia
B. Odilo Cluniacensis. Videat pius Lector in Bibliotheca Pa- B
trum c. 7. & apud Surium 11. Nouemb.

§. Postea venit puer Coloniam.

Ista msc. sic recenset. *Postea idem puer, sicut omnes testes eius*
sumus, cum quibusdam Monachis Nostris Coloniam nauigio ueniens,
sepulchrum Martyris adiit, que uouerat obtulit, ubi post orationem ple-
ne curatus, baculus super tumbam eius positus sequenti die pedes ad nos
redijt.

§. Digni non sunt videre miracula Mar- tyris.

In manuscripto adduntur hæc uerba ex cap. 13. *Matth.* Ge-
neratio praua & adultera signum quærit.

Caput Tertium.

De muliere, que ex gutture grauissimè laborabat curata.

Nota mi-
raculam.

MVLIER quædam prope Coloniam, periculose laborans ex guttu-
re, uenit ad martyris memoriam cum amicis : petijt subuculam
eius in aquam intingi, sperans, si indè biberet, se mox sanatum iri. Bibit
difficiliter admodum, redit domum, post horas quatuor ad sepulchrum
reuertitur, gratias agit Christo & Sancto Engelberto. Tantam ei mole-
stiam morbus ille attulerat, ut quinque diebus nec loqui, nec gusta-
re quicquam potuerit.

Notatio

A. Notatio ad Caput Tertium.

§. Prope Coloniam.

MAnulcrip. dicit Mulierem hanc mansisse, id est, habi-
tasse iuxta piscinam, quæ est extra muros ciuitatis. Monaste-
rium sum
Weier.
Fuit enim piscina Monasterium sum Weier, ante portam ci-
uitatis Coloniensis, quæ etiamnum idem inde nomē retinet
die Weierpfort. Monasterium illud vna cum eo, quod ad SS.
B Martyres zu Wechtern corruptè nomen habuit, tempore ob-
sidionis Nouesiensis anno 1474. dirutum est. Piscina verò
deinceps cum nobili Parthenone S. Cæciliæ coaluit, ipsæ
ad SS. Martyres sanctimoniales translatae sunt Coloniam in
facellum S. Apri, cuius possessione illis Tertiariæ, prout ap-
pellantur, S. Francisci, transcripto sibi Diui Bonifacij in sancti Monaste-
riū S. Apri.
Seuerini parœcia sacrario, cesserunt.

C. Caput Quartum.

*De Milite quodam à Tertiana libe-
rato.*

MILES quidam ceream imaginem
D obtulit ad martyris sepulchrum cū
his verbis: Tam tu sis benedictus, san-
cte Episcopo Engelberte, quàm ego ve-
rè tertiana febre liberatus sum à Do-
mino.



Caput Quintum.

De Ioanne Abbate S. Trudonis à quartana liberato.

Bb 3

Eodem

Matth. 5.
Abbas à
quartana
liberatur.

EODEM tempore Ioannes Abbas S. Trudonis, quartana diu & gra-
uiter conflictatus, audit miracula ENGELBERTI, laudat Deum mira-
bilem in gloria eius: moxque in mentem ei venit, fuisse hominem PA-
CIFICVM & misericordē: porrò beatos esse PACIFICOS & misericordes.
Inuocat ergò Deum, orat vt per eius merita sibi opituletur: & confe-
ssim se lætatur in seipso experiri, quanti sit apud Deum meriti beatus
ENGELBERTVS, sanum se sentiens.

Notatio ad Caput Quintum.

Ioannes
Sanctēsis.

Sancti
oppidum.

DE Abbate Ioanne Sanctensi, qui
nomen suum est mutuatus ab
vrbe Sanctensi, in cuius Ecclesiæ in-
troitu legitur: AD SANCTOS
MARTYRES, vnde vrbs Sancten-
sis nomen teste Pigio accepit: Cæsa-
rius lib. 30. dialog. c. 21. 6. dialog. c. 3.
lib. 7. dial. cap. 24. & lib. 1. vitæ S. EN-
GELBERTI cap. 2. & 7. meminit &
Petrus Beeck in suo Aquisgrano c. 2.
Notationem de ipso huc reieci. Fuit
vir eruditus, passim enim magister au-
diit. Idem ille anno 1222. ex Decano
B. M. V. Aquisgranensis in Abbatem
S. Trudonis diœcesis Leodiensis po-
stulatus est, & per Legatum sedis A-
postolicæ creatus. Eodem ipse anno
Legati Apostolici Episcopi Portuensis Cardinalis S. Rufinæ
iussu monasteriorum Stabulaus, & Malmundariensis tum ca-
pita, tum singula membra visitauit. Quin & in Prælatorum
Tuitiensium Cathalogo decimus nonus Heribertinus Præ-
ses numeratur Brunonem inter & Henricum Abbates. Vn-
de duobus præfecto monasterijs à dicto Legato concessa est
legis



legis & canonum vacatio seu dispensatio quam S. Trudonis
 A exhibent tabularia: *Dilecto in Christo Ioanni Abbati S. Trudonis* Dispensa-
salutem in Christo Iesu. Licet salubriter in sacris Canonibus sit statu- tio verus
tum, ut singulis personis singula officia committantur. frequenter ta- de duabus
 B *men Personarum consideratis & locorum qualitatibus ac circumstan-* dignitatib,
tis, plures Ecclesie conceduntur vni personæ de gratia speciali: Hinc
est quod cum Abbatiam Tuitiensem S. Heriberti tibi commiserimus,
ne monasterium S. Trudonis ex Nostra commissione iacturam in spi-
 C *ritualibus, vel temporalibus patiatur tibi legationis qua fungimur au-*
 B *thoritate indulgemus, ut Abbas Tuitiensis existens S. Trudonis re-*
maneat, ut utrumque monasterium & eorum personas auctoritate
presentis indulgentie, tanquam proprius Abbas regas & plenam cu-
ram eorum habeas in temporalibus & spiritualibus ministrandis.

Hoc illi in vita S. Geluci lib. 1. c. 10. elogium datur: *Vir Re-*
uerendissimus & magna in Christi Ecclesia gloriæ Magister Ioannes
Sanctensis fidelis verbi crucis dispensator & modernæ expeditionis
 C *Hierosolymitana studiosus coadiutor:]* Vnde colligas quam illu-
 B. ENGELBERTI testimonium. Obijt ipse Abbas anno 1228.
 decimo Kalend. Octob.

Caput Sextum.

De Paralytica restituta.

D **M**VLIER diu paralytica, eius nomen appellans, curata est.

Notatio ad Caput Sextum.

MAnuscriptus addit: *In recordationem miraculi, quibus*
nitebatur baculos obtulit. Reliqua Surianæ editioni con-
 sonant.

Caput

Caput Septimum.

A

De scholari contracto qui ad sepulchrum Martyris reualuit.

CIVIS Confluentinus puerum scholasticum habuit adeo contractum, ut dimidio anno pedem in terram deponere non posset. Iussit ergo eum duci Coloniam, & plena fide martyris sepulchro imponi. Fit ita: & ecce mox laxantur nerui, puer à monumento se submittit in pedes, atque ad hospitium suum gratulabundus abscedit.

Notatio ad Caput Septimum.

B

MANUSCRIPT. ait, cui huic Confluentino nomen fuisse Theodericum von der Arefen; Roricum, cognomen von der Arefen; Filium Rorici ægrum vocatum Theodericum.

NUMERUS CAPITULORUM MUTATUR. Hoc septimum caput editio Suriana cum præcedenti miraculo de paralytica restituta continuat, sed manuscriptus ab eo diuidit, ideoque deinceps etiam numerum capitulum mutandum duxi.

Caput Octauum.

De obtrectatore Martyris punito, iterumque curato.

AVRIFABER quidam Sibergensis adeo noluit fidem adhibere miraculis martyris, ut quoties eius audiret prædicari sanctitatem, vel irrideret, vel contradiceret. Et quinam, inquit, vel dici, vel esse potest sanctus, cuius iussu multæ inflammatae ædes, multi spoliati sunt, & quem multorum malorum constat fuisse authorem? Sed Deus martyris iniurias diutius fere non sustinens, blasphemum hominem subito tanta vi morbi oppressit, ut se quamprimum crederet à vita abiturum. In se igitur reuersus, veretur ea causa se percussum, quod martyri detra-xisset. Iubet ergo Coloniam se adduci, venit aliorum manibus ad sepulchrum martyris, fatetur illi culpam suam, inter cætera crebro hæc repetit: Domine, per merita tua & sanctum martyrium tuum, adiuua me miserum. Interim dicit ad circumstantes: Ecquis me aqua benedicta adpersit? Respondent omnes: Nemo nostrum te adpersit. Ille reperit.

Punitur contumeliosus martyris obtrectator.

Rursus sanitati restituitur.

A petit: Imò verò adspersit me aliquis. Rursum illis negantibus: Sinite me, inquit, abire. Dei enim benignitate & meritis Engelberti martyris ecce sanus sum. Surgit eadem hora, cunctis mirantibus: quiescit paulisper in ædibus templo vicinis: inde domum proficiscitur, & sensim plenè restituitur.

Notatio ad Caput Octauum.

B **N**omen huic calumniatori punito, & sanitati restituto Arnoldus fuit, vt in manuscrip. est videre.

Caput Nonum.

De Cubiculario Comitissæ Geldrensis contracto sanatoque.

C **V**BICULARIUS Geldrensis Comitissæ, non nisi scipionibus fultus ingredi potuit. Audiens Colonia multa edi miracula, eo se confert, & aliquot continuis diebus martyris Engelberti sepulchrum inuisens, atque eius precibus sanari se petens, octauo die curatur, relictisque illic scipionibus, lætus domum redit.

Contractus curatur.

Notatio ad Caput Nonum.

§. Geldrensis Comitissæ.

D **E** Geldriæ Comitibus sequenti capite accuratiùs quædam tractabo, hîc aliquot tantùm enarrabo rescripta Cæsarea, contra Geldriæ Comitem S. ENGELBERTI amicum data. Nam Fridericus Sicularius sibi oblatum à Principibus Imperij honorem ostensurus esse perquam acceptum, quædam præsentem S. ENGELBERTO edidit diplomata, in quibus Fisco & Aduocatis immoderato suo excessu, ac nouis omnino excitandis telonijs interdixit, eaque occasione Gerhardum iuniorem Geldriæ Comitem iussit telonium Arnheimense abrogare, mandatâ SANCTO ENGELBERTO

Fridericus Sicularius Imperator.

Cc

execu-

executione, seu, vt loquuntur, datis illi executorialibus abrogationis. Diplomata autem ita se habent. A



DIPLOMA AC PRIVILEGIUM
PRIMUM FRIDERICI SECUNDI PRO
Principibus Ecclesiasticis.

Privilegiū
Friderici
secundi
pro Princi-
pibus Ec-
clesiasticis.



Henricus
Rex Rom.

Regem sibi & Dominum beneuolè ac concorditer eligendo, censuimus eos, per quos promoti sumus, semper promouendos, & per quos firmati sumus vna cum ipsorum Ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia quæque firmandos. Igitur quia in eorum grauamina quædam consuetudines, & vt verius dicamus, abusiones, ex longa perturbatione imperij, quæ per gratiam Dei nunc quieuit & quiescit, inoleuerant in nouis telonijs, & monetis, quæ se inuicem ex similitudinibus imaginum destruere consueuerant. In guerris Aduocatorum & aliis malis, quorum non est numerus, staturis quibusdam, eisdem abusionibus obuiauimus. C

I. Primo promittentes deinceps quod nunquam in morte cuiuscunque Principis Ecclesiastici reliquias suas Fisco vendicabimus; Inhibentes etiam, ne laicus quisquam aliquo prætextu sibi eas vendicet, sed cedant successori si antecessor intestatus decesserit, cuius testamentum si quid inde fecerit volumus esse ratum. Si quis verò contra hanc constitutionem reliquias sibi vendicare præsumpserit, proscriptus & exlex habeatur. D

Spolia
prohiben-
tur.

habea-

habeatur, & feudo siue beneficio, si quod habeat, permaneat desti-
A tutus.

Item noua Telonia & nouas monetas in ipsorum territorijs siue iurisdictionibus eis inconsultis, seu nolentibus non statuemus de cætero, sed antiqua telonia & iura monetarum eorum Ecclesijs concessa inconuulsa & firma conseruabimus, & tuebimur, nec ipsi ea infringemus, nec ab alijs lædi permittemus modis aliquibus, vtpote monetæ turbari & vilificari solent similitudinibus imaginum, quod penitus prohibemus.

2.
 Telonia &
 nouæ mo-
 netæ.

Item homines quocunque genere seruitutis ipsis attinentes quocunque causa se ab eorum obsequijs alienarunt, in nostris ciuitatibus non recipiemus, in eorum præiudicium, & idem ab ipsis inter se, eisque à Laicis omnibus vniuersaliter volumus obseruari.

3.
 Serui fugi-
 tui nō re-
 cipiendi.

Item statuimus ne quis Ecclesiam aliquam in bonis suis damnificet occasione Aduocati eorundem bonorum, sed si damnificauerit, damnū in duplo restituet, & centum marcas argenti cameræ nostræ soluet.

4.
 Ne quis
 Ecclesie
 damnificet

Item si aliquis eorum Vasallum suum qui forte eum offendit iure feudali conuenerit, & sic feudū euicerit illū suis vsibus tuebimur, & si ipse feudum de bona & liberali sua voluntate Nobis conferre voluerit, recipiemus amore vel odio non obstante. Quocunque autem modo siue etiam ex morte infeodati, Principi Ecclesiastico feudum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propria, immo violentia nullatenus inuademus, nisi de bona voluntate liberalique concessione sua potuerimus obtinere, sed cum effectu suis vsibus studebimus defendere.

5.
 De feudis.

Item sicut iustum est excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viua voce vel per literas eorum vel per honestos nuncios fide dignos Nobis denunciati fuerint, vitabimus, & nisi prius absoluantur, non concedemus eis personam standi in iudicio. Sic distinguētes quod excommunicatio non eximat eos à respondendo impetentibus, sed sine aduocatis, perimat autem si eis ius & potestatem ferendi sententias & testimonia & alios impetēdi. Et quia gladius materialis cōstitutus est in subsidium gladij spiritualis, excommunicationū, Si excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse prædictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscripcio subsequatur, non reuocanda, nisi prius excommunicatio reuocetur. Sic vtique alijsque modis omnibus iusto videlicet & efficaci iudicio, ipsis prodesse atque præesse firmiter compromissimus, Et ipsi vice versa fide data promiserunt, quod contra omnem ho-

6.
 De excom-
 municatis.

minem qui tali nostro iudicio ipsis exhibendo violenter resisterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent.

7.
De nouo
opere.

Item statuimus vt nulla ædificia, castra videlicet, seu ciuitates in fundis Ecclesiarum, vel occasione aduocatiæ, vel alio quoquo prætextu construantur, & si quæ forte sint constructa, contra voluntatem eorum, quibus fundi attinent, diruantur Regia potestate.

8.
Officialiũ
Cæsaris iu-
risdictio
restringi-
tur.

Item inhihemus ad imitationem Aui nostri felicitis memoriæ Imperatoris Friderici, ne quis officialium nostrorum in ciuitatibus eorundem Principum iurisdictionem aliquam siue in teloniis siue in monetis seu alijs officijs quibuscunque sibi vendicet, nisi per octo dies ante curiam nostram ibidem publice indictam & per octo dies post eam finitam: Nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere præsumant iurisdictionem Principis & consuetudines ciuitatis. Quotiescunque autem ad aliquam ciuitatem eorum accesserimus, sine nomine publicæ curiæ, nihil in ea iuris habeant, sed Principes & Dominus eius in ea plena gaudeat potestate. Sane quanto fidem ampliozem prædictorum Principum circa nos intelleximus, tanto excellentius eorum profectibus semper intendemus prospicere, & quoniam acta hominum obliuio inimica memoriæ per longam temporum euolutionem sepelire

Hoc priuilegium sit perpetuũ.

solet, diligentia vigilantiori adhibita hæc Nostræ gratiæ beneficia Ecclesijs impensa perpetuari volumus: Statuentes vt hæredes Nostri & successores in Imperio ea rata conferuent, & exequantur, & faciant in subsidium Ecclesiarum à Laicis vniuersaliter obseruari. Et vt futuris innotescant, & à præsentium non excidant memoria siue notitia, ea fecimus huic pagine annotari & paginam subnotatione nominum eorum, qui interfuerunt Principum videlicet, & sigilli nostri munimine insigniri. Testes hi sunt Sifridus Moguntinensis Archiepiscopus, Theodericus Treuirensis Archiepiscopus, ENGELBERTVS Coloniensis Archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Hugo Leodiensis Episcopus, Otto Traiectensis Episcopus, ENGELBERTVS Bambergensis Episcopus, Conradus Ratisbonensis Episcopus, Hertvvicus Egesdediensis Episcopus, Theodericus Monasteriensis Episcopus, Henricus Wormensis Episcopus, Engelhardus Nevvemburgensis Episcopus, Henricus Basiliensis Episcopus, & alij quam plures. Signum Domini Friderici secundi Romanorum Regis inuictissimi & Regis Siciliae, Ego Conradus Metensis & Spirensis Episcopus Imperialis aulae Cancellarius vice Domini Sifridi Moguntinensis Sedis Archiepiscopi

Testes
proceres.

& to-

& totius Germaniæ Archicancellarij recognoui. Acta fuerunt hæc 1220.

A Anno Dominicæ incarnationis M, CC, XX. indictione nona regnan-
te D. Friderico secundo Rom. Rege & Siciliae gloriosissimo, anno re-
gni eius in Germania VIII, Sicilia vero XXIV. datum apud Franckfort
6. Kalend. Maij.

Diploma II. singulare contra Geldriæ Comitem.

FRIDERICVS Dei Gratia Rom. Imperator semper Augustus & Rex
Siciliæ vniuersis præsentis literas inspecturis fidelibus suis gratiam
suam & omne bonum. Quia cum apud Franckfort in curia solemni-
ter indicta iudicio præsideremus, per Principes qui ibidem aderant ta- Comes
lis data fuit sententia, & ab iisdem approbata, quod nullam auctorita- Geldriæ.
tem siue Warandiam telonij in damnum vel præiudicium alicuius
nostra præstare Serenitas potuisset. Quare cum de Comite Geldrenf.
super telonio, quod se à Nobis asseruit tenere, clamor conquerentium
non modicus aures Excellentie Nostræ pulsauerit, sub obtentu gra- Lobedde.
tiæ Nostræ eidem Comiti dedimus in mandatis ac penitus prohi-
buimus, quod nullum telonium apud Arnheim vel Osterbecke, seu
Lobedde, vel in quocunque loco super Rhenum deinceps acciperet
vel haberet, non obstante aliqua warandia, Si quam se dixit habere,
C nec aliquibus literis obuiantibus à Nobis vel prædecessoribus Nostris
impetratis, super his litteras apertas vniuersis eis insipientibus desti-
nantes: verum quia idem Comes in his mandato & scripto nostro te-
mere contraire præsumens, postmodum teloneum sibi prohibitum
non solum extorquere, immo etiam quod grauius est in dispendium E-
piscopi Traiectensis & Ecclesiæ suæ homines suos de Dauentria & Sal- Dauentria.
landia nouis teloneorum exactionibus apud Lobbeke præsumpsit Sallandia.
aggrauare. Nolentes igitur vt per violentiam Comitis præfati Episco-
po iam dicto & Ecclesiæ ipsius occasione præmissi telonei aliquod
D præiudicium fiat vltius, litteras quas super inhibitione eiusdem the-
lonij indulsumus confirmantes, innouamus ac iteratò Imperiali aucto-
ritate Warandiam telonei apud loca memorata & in alijs locis super
Rhenum sæpedito Comiti contradicimus, & ne telonium deinceps
accipiant penitus inhibemus. Si verò idem Comes (quod non credi-
mus) huic nostræ contradictioni ac inhibitioni contrarius extiterit,
ipsum etiam indignationem Nostræ culminis incurrisse, & à gratia Ma-
iestatis nostræ exclusum penitus cognoscatis. Actum apud Prechmam
2. No. Ianuarij xi. indictione.

Mandatum Friderici secundi contra Geld-
ria Comitem.

FRIDERICVS Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augu-
stus & Rex Siciliae fideli suo N. Comiti Geldren Gratiam suam &
omne bonum. Intelleximus quod tu post inhibitionem mandati no-
stri apud Francofordiam in solempni curia sententialiter factam, vene-
rabilem Traiectensem Episcopum dilectum consanguineum & Prin-
cipem nostrum & Ecclesiam ipsius indebitis exactiōibus telonei a-
pud Lobbede & alijs grauaminibus multipliciter aggrauas & mole-
stas, immo quod grauius est ab hominibus castri sui Deuenter, & terrae
suae Sarlandiae de nouo teloneum extorques, in ipsius & Ecclesiae suae
prauiudicium & grauamen. Cum igitur ex officio commissi Nobis re-
giminis, Ecclesiarum iura defendere teneamur ac conseruare, fidelita-
ti tuae sub obtentu gratiae nostrae firmiter praecipiendo mandamus,
quatenus ab huiusmodi exactiōibus thelonēi & alijs grauaminibus,
quae eidem Episcopo & Ecclesiae suae hactenus irrogasti & adhuc in-
ferre non formidas, omnino desistas, teloneum & maxime ad grau-
amen Episcopi & hominum terrae suae per te de nouo institutum peni-
tus abolendo, indubitanter sciturus: quod si in huiusmodi mandati
Nostrae executione iterato tibi facti,tenorem literarum, quas super
his omnibus eas inspicientibus de nouo direximus, negligentem te ges-
seris, non solum Maiestatem Nostram offendisse; sed a gratia Nostra
te scias penitus alienum. Datum apud Prechmam.

Friderici secundi ad S. Engelbertum exe-
cutoriales contra comitem Geldriae.

FRIDERICVS secundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Au-
gustus & Rex Siciliae fideli & dilecto Principi suo ENGELBERTO fan-
ctae Colonienſis Ecclesiae Archiepiscopo gratiam suam & omne bonū.
Nobis apud Franckenforde in curia solempniter indicta iudicio praesi-
dentibus talis data est sententia & a Principibus approbata, quod nullā
auctoritatem thelonēi siue warandiam in damnum vel prauiudicium
alicuius praestare possimus. Cum igitur super telonio quod Nobilis vir
Comes Geldrenſis se asserit tenere a Nobis, querimoniam nō modicam
audiuerimus, Regia Maiestate tibi mandamus, quatenus auctoritate
Nostra & sub obtentu gratiae Nostrae eidē Comiti firmiter praecipias, vt
nullum theloneum ab Arnhem vel Osterbecke seu Lobbede vel in
quo-

quocunque loco super Rhenum deinceps accipiat, non obtestante aliqua warandia, si quam se dicit habere, nec literis aliquibus obuiantibus à Nobis vel successoribus Nostris impetratis. Datum apud Franckforde in curia nostra solemniter indicta 2. Kal. Maij.

Haftenus diplomata & executoriales. Lubet hic quoq; ipsorum Geldriæ Comitum profapiam subijcere, vt quæ in sequenti Capite traduntur, facilius intelligantur.

Stemma Geldricum & Zutphanienſe.



Gerhardus (*manuscrip Gerlacus*) fundator Ecclesiæ Walsēbergenſis & secundum aliquos fundator monasterij Beravv inter Fuldam & Vesaram.

I. Hadevviga vel Hedyviggis Florentij Crassi Hollādiæ comitis filia.

✠ ✠ ✠
VXOR.
RES.

Secunda Ermgarda Namurcensis.

Gerlacus Ottoni à Nassavv ex secūda coniuge Sophia Wichmāni Comitiss Zutphaniaē filia natus: cœlebs obiit.

Henricus ex Hedvvige Fundator Bethlemij prope Dorechem monasterij ord. S. Augustini, vxor Seinara filia Godefridi Ducis Brabantie.

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus. vt aliqui volūt.

Salome nupta Herico Comiti Oldenburgico.

Albertus vel Alberto ex Ermgarde, Episcopus Leodiensis; alij volūt Gerhardi fratrem atq. Ottonis filium.

Gerhardus II. Schriuer & mscr. fundator, aliis auctor Wassenbergensis Collegij: Prolem neque ex vxore. I. Margarita comite Spanheimensi, neque ex altera Ida Boloniensi comite suscepit.

Otto Secundus cum Henrico Geldrensi Comite sepultus in veteri campo Cisterciens. Huic ex Richarda Iuliacensi suscepit.

Maria (alij Catharina) nupta Comiti de Loen.

Agnes vxor Herici Comitis de Loen.

Margarita nupta Engelberto Comiti de Monte, mater Sancti ENGELBERTI Archiepiscopi Colon.

B. Henricus II. cui desponsa Adelheidis F. Theodori VIII. Hollandie Comitis, sed obiit Virgo.

Gerhardus III. contra quem, amicum licet suum, B. ENGELBERTVS executoriales Casareas pro libertate Ecclesie Ultraiecinie suscepit.

Prima Margarita filia Roberti Nassouie comitis, cum qua fundauit Monasterium Ruremundanum.

Secunda Sophia Brabata.

N. Filiolus pulcherrimus ex difficili partu feliciter editus ad inuocationem S. ENGELBERTI. *Cesar. hoc lib. 3.*

Otto electus Episcopus Ultraiecinus.

Adelheidis Gulielmo Hollandie comiti nupta.

Margarita qua nupsit Adolpho Marcano Comiti.

Otto III. claudus vulgo mit dem Pferd suess. Vxores habuit; primam Margaritam Theodor. Cliuentis (vel vt vult Reusnerus, Iuliacensis) filiam fundatricem noui Monasterij seu Nienkloster ex qua non excitauit liberos, secundam vero Phi-

Henricus Episcopus Leodiensis familie Geldricae labe, a S. ENGELBERTO Abbas Stabulensis consecratus fuerat, & studio Pontificis ad Episcopatum Leodiensem promotus: verum vtrique dignitati inutilem se reddidit. Nam quos suscitauerat spurios (quorum teste Placentio 20. errant, vel secundum alios 65.) Ecclesie bonis ditatos dotatosque ad altiora prouehere conabatur. Quibus excessibus motus Gregorius X. summus Pontifex grauissima Epistola correptum Episcopum ad saniores mentem reducere conatus est, sed parum proficiens eundem ad concilium

Philippam Simpolini, id est, S. Pauli Comitiss filiam, ex qua cilium Lugdunense vniuersale citauit: qui male sibi conscius non comparuit, sed remisso annulo, Episcopatu cessit Anno 1274.

| | | | |
|--|--|--|---|
| Reinaldus I. Bellicosus, prima vxor Irmgardis (alij Valburgis) Filia ducis Limburgensis, sine liberis. Altera Margarita filia Guidonis Comitris Petre Dominæ nostræ, vulgo Dampierre, ex hac | Henricus qui in prima ætate ad huc puer obiit. | Gerhardus item in prima ætate mortuus. | Irmgarda ex qua nupta Theoderico VII. Cliuie Comiti, progeniti sunt duo Theoderici, quorum vnus Louo dictus comitatû Hulckradianum, id est, Dick, Linn, Wilich, Vischel, Osteradt, Lanck, Burich, Herdt, Niel. possedit.] ita mscr. sed de Hulckradt vide infra cap. 24. |
|--|--|--|---|

| | | | |
|--|---|--|---|
| Margarita nupta Theoderico Decimo Cliuie Comiti. | Guido & Philippus in ætate iuuenili defuncti. | Isabella nupta Fridrico Austriaco Pulchro, sed deserta, cû Philippa sorore sua ad S. Claram Coloniæ Deo castitatem nuncupauit. illi loco vtraque præfuit, atque eum bonis locupletauit. Vt habent illius monasterij Archiua. | Reinaldus II. Rufus (alij Niger) Fundator Carthusianorum Amhemij, (quo etiam transtulit ex Tiela Collegium Canonicorum S. Walburgis) Carmelitarum Geldrie, & Dauentrie ac Hadervici Franciscanorum. Primus Dux Geldrie. hic ex Sophia Florentij Mechliniensis Baronis filia meras excitauit filias & ex Eleonora Eduardi Angliæ Regis nata, secunda vxore, filios duos, prout in cõtinuato schemate ostenditur. |
|--|---|--|---|

EX SOPHIA I. VXORE.

| | | | |
|---|-------------------------------------|--|---|
| D Maria nupta Guiljelmo Quarto Cliuie & mox Geldrie Duci. | Isabella Abbatissa Noui Monasterij. | Mechtildis I. alij Margarita, quam immatura mors extinxit. | Mechtildis II. nupta Ioâni Cliuensi, deinde Godefrido Lofes demû Ioanni Bloefs Comitib. successiue. |
|---|-------------------------------------|--|---|

EX ELEONORA II. VXORE.

Reinaldus III. Eduardus, Catharina Alberti Bauariæ Ducis & Holladiæ Comitiss filia, iuge sua Maria Vxor & Virgo. Nã e nuptijs euocatus Eduardus, vt Wilhelmo affini succurreret caso, à prælio victor ab Hermanno Lees clam glante traiectus interiit.

Inter hos duos fratres perpetuæ inimiciæ fuerûnt, bella nõ liberos suscitârûnt.

Gulielmus II. Iuliae Dux
& IV. Dux Geldriae, cui⁹
inuestiturā ab Impera-
tore obtinuit, ex coniu-
ge sua Catharina, Auū-
culi sui relicta vidua, nō
excitavit proles.

Reinoldus IV.
Dux III. Iuliaci &
V. Dux Geldriae cū
Maria Arduennē-
si, siue Arthois &
Arschotti comitis
filia, sine liberis
obijt.

Ioanna vxor (aliquibus mscr. rapta)
Ioannis decimi tertij Dynastae Arc-
kelij cui liberi

Gulielmus Maria (alijs, Margari-
qui inter- ta) nupta Ieanni Eg-
fectus an- mondæ Comiti ē
no 1417. qua filius

*Geldria insignia olim erāt 3. flores mēspili; quibus successit
Nassouiarum leo ex argēto in clypeo: (quem campū vulgo
vocat) caruleo, Rupertus tamen Palatinus senior dedit
Adolpho & Ioanni comitibus leonem aureum.*

Arnoldus comes Eg-
mondanus Sextus
Dux Geldriae.

Geldrica
Bellua
quidē

ARnoldi sexti Geldriae Ducis posteros, qui ditiones Si-
cambrorum tenuerunt vsque ad Carolum Ducem, la-
tius deducere supersedeo, cum D. Miræus libro secun-
do Donationum Belgicarum cap. 136. eos afferat. Ipsam etiā
Dynastarum Geldrorum originem, suo fortē tempore tra-
dam in B. Adelheide, vbi & de Nobilissimo Vilicensi Colle-
gio agam. Interim figmentū puto de bellua Geldre, Geldre,
inclamante; quam Wichardus de Ponte interemerit, eo que
faeinore populi sibi illius Imperiū acquisiuerit. Si tamē vete-
rum ænigmata aliquid mysterij censentur inuoluere; inter-
pretabor à Wichardo populum ereptum ab auara alicuius
& ferina tyrannide ac dominatū, qui subditos vt emungeret,
Geldre, Geldre, id est, nummos, nummos, imperiosis suis vo-
cibus extorquere fuerat conatus.

Caput Decimum.

*Quo recensetur Comitissa Geldriae in partus mortisque peri-
culis seruata.*

GELDRIÆ Comitissa tanta pariendi difficultate quandoque labo-
rauit, vt vita eius propemodum desperaretur. Accitus confessorius
eius Abbas Campensis, à Duce Brabantia Henrico, qui erat Comitissa
pater

A pater, atque à marito eius Gerardo Comite, introductus est ad eam, præ doloris acerbitate miserè eiulantem. Illa, viso Abbate, perinde ac si moritura sit, commendat se eius precibus, orans ut fratres omnes iubeat pro se orare. Lachrymantur omnes, qui aderant. Interim Comes sic ait ad eam: Nosti charissima, quantum nos amari cognatus & Dominus meus Episcopus ENGELBERTVS. Inuoca ergò illum in hac summa calamitate: spero non minùs illum tibi, quàm cæteris, subuenturum. Deinde Abbas cum Duce & Comite egreditur: portò Comitissa orat martyrem, ut sibi opituletur. Orat Christum, ut propter sanguinem què pro iustitia fudit ENGELBERTUS, à tantis doloribus se liberet. Vix in castrum illi redierant, cum ecce puella cursitat post eos, lætissimumque nuncium Comiti afferens: Domine, inquit, Domina mea peperit tibi elegantissimum filium. Tum verò omnes laudant & prædicant Deum in martyre suo Engelberto. At Comitissa non immemor beneficij, mox reualuit, Coloniam venit, sepulchrum martyris visitauit, argenteamque imaginem ad illud obtulit.

Illustre miraculum in Comitissa Geldriæ.

NB. Argentea Imago S. ENGELBERTI.

Notatio ad Caput Decimum.

Comitissam Geldriæ hoc capite à Sancto nostro seruatum Historici Sophiam appellant. Fuit ea Henrico Brabantia Ducis illius nominis primo nata ex Mechtilde Mathæi Boloniensis Comitis filia, Gerardo III. Geldriæ & Zutphaniæ Comiti secundis nuptijs iuncta. Gerardus enim priorem duxerat uxorem Margaritam, Ruperti Nassouia Comitis, (qui in Syria fortiter pieque mortuus est) filiam, ex qua Ottonem tertium cognomine Claudum, & Henricum Leodiensum aliquando Antistitem genuit. Quo tempore Margarita hæc obierit & Gerardus viduus Sophiam duxerit, non reperi. Hoc constat Margaritam fuisse adhuc superstitem anno 1218. quo Gerardus cum illa insignem Ruremundæ parthenonem ord. Cisterciensis condidit atque dotauit. Quin eadè videtur anno 1224. Kal. Iulii fatis necdum cessisse, quod diploma instituti monasterij (præsentibus viro

Rupertus Nassouius in terra S. mortuus.

Vide Miraculū in notitia Eccl. Belgij pag. 556.

Dd 2

Nobi-

& diploma Belgica p. 376. Item Lilia Cisterciens. Henricus-
tij.

Nobili Henrico de Monte, Waltero de Eile, Gerardo & Henrico de Barsdunck fratribus, Gerardo de Rotheim, Arnoldo de Wachtendunck, Theoderico aduocato Ruremundano, aliisque datum) Margaritæ meminerit sine vlla mortis insinuatione vel quietis apprecatione, quæ alioquin vsurpata fuisset, nisi etiamnum superstes fuisset. Cæterum siue ante siue post annum 1224. Margarita obierit, & Sophia Brabantia (quam S. ENGELBERTVS suis apud Deum precibus è mortis periculis eripuit) Gerardo nupserit, haud est curiosus inquirendum. Id saltem ex miraculi huius enarratione notandum venit, errare annales Comitum & Ducum Geldriæ manuscriptos ita aientes: *Gerardus tertius Comes VI. Geldriæ vixit 27. annis, obiit anno 1229. sepultus Ruremundæ, in Monasterio ordinis Cisterciensis à se erecto fundatoque. Prima vxor Mechtildis filia Ducis Brabantie, obiit absque prole, secunda Richardis à Nassau, ex qua suscepit Ottonem successorem & Henricum Episcopum Leodiensem. Richardis vero marito defuncto Gerardo, ingressa est monasterium Ruremundanum, ubi Abbatissa creata est & obiit.* Errare similiter I. O. dum in Stemmate Nassouico-Geldrico affirmat Gerardum nullos ex Sophia liberos genuisse, cum tamen hic afferatur, Gerardo ex Brabantia, elegantissimum filium fuisse natum. Obijt Gerardus anno 1229. die 22. Octob. Sepultus in monasterio memorato (in quod & prima coniunxillata fuerat.) Sophia vero in eodem loco viri mortem luxit, illique Abbatissa præfuit, ac tandem in S. Matthiæ ferijs, Anno 1231. vita mortali fuit defuncta.

§. Quantum nos amari Cognatus.

Fide in Stemmate Geldrico pag. 207.

Matrem S. ENGELBERTI fuisse Margaritam filiam Henrici Geldriæ Comitis lib. I. in Stemmate & paulo ante notauimus. Margaritæ frater existit Otto II. Geldriæ Comes, Gerardi de quo egimus pater: Vnde constat ENGELBERTVM nostrum,

A nostrum, & Gerardum Comitem fuisse cognatos in secundo gradu, fratris nempe & sororis liberos seu amitinos.

§. Confessarius eius Abbas Campensis.

Fuit hic Arnoldus appellatus, quem Campenses octauum inter Abbates numerant, ex Morimundensi Monasterio accitus, Ioanni primo successit S. ENGELBERTO valdè charus; vt Ioānes Dithmarus in tabella Campensium Abbatum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, à se edita testatur. Idem, eodem auctore, à Gerardo Geldriæ Comite priuilegium quoddam pro suo campo impetrauit. Denique lectus hic Arnoldus in Morimundentem Abbatem anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto, Hartleuum nonum apud Campenses Abbatem reliquit successorem, posteaquam Sancti Seruatii Monasterium apud Ultraiectinos, nouum campum apud Schvverinenses, & Viam cæli in Duiferen prope Duilburgum, suo ordini acquisiuisset.

Arnoldus
Abbas Cā-
pensis.

Caput Vndecimum.

De puella annis sex cæcâ, quæ lumen recepit.

PVELLA quædam Coloniensis, sexto mense ætatis suæ cœpit malè habere in oculo: deindè lumine profus orbata est. Cumque sextum ageret ætatis annum, mater eius causa, tribus sextis ferijs ieiunauit in pane & aqua, & Missam defunctorum in honorem Beati ENGELBERTI celebrandam curauit: atque ita puella mox per martyris meritum, visum recepit.

Cæca puel-
la videt.

Notatio ad Caput Vndecimum.

MAnuscriptus tradit Puellæ huius matrem in Parœcia Sanctæ Columbæ Virginis & Martyris Colonia fuisse commoratum.

D d 3

Caput

Caput Duodecesimum. A*De viro Nobili à morbo caduco liberato.*

Nobilis à morbo ca-
duco libe-
ratur.

HENRICVS de Calenmunt, vir nobilis, cùm diu vexatus esset morbo comitali, die quodam in sacello stans, & de miraculis beati ENGELBERTI cogitans, humi se prostravit, crebroque rogavit sanctum martyrem, vt à Domino sanitatem sibi impetraret. Inde surgens, sensit insolitam quandam corporis allevationem, ita vt deinceps vsque in præsens, nihil ab illo morbo molestiæ acceperit. B

Notatio ad Caput Duodecesimum.

Kalenmüt.
Putzfeld.

KAlemunt quod appellat manuscrip. domicilium est nobile Putzfeldiorum haud procul Steinfeldia.

Caput Decimum tertium.

De Paralytico curato. C

Paralytici
curatio.

HOMO paralyticus cùm ad sepulchrum eius duabus ferè horis orasset, & martyrem attentissimè deprecatus esset, relictis illic scipionibus, quibus aduenerat, suis pedibus lætus abscessit.

Notatio ad Caput Decimum tertium.

Hoingen.

EX manuscrip. discimus hominem hunc fuisse ex Hoingen. Hoingen autem pagus est sarrapiæ Hilchrodanæ non longè à Knechtstadiensi Abbatia situs. Nisi fortè sit vicus D Rheno incumbens sub Argenselsio Comitum Henburgicorum. Verum is non Hoingen sed Hoeningen appellatur. Manuscrip. Monasteriensis ex Eiffia dicit. *Homo quidam ex Hegen.*

Caput Decimum quartum.

De Sacerdote diebus quindecim cæco & postmodum restituto.

SACER-

SACERDOS quidam quindecim dies cæcus, vouit se visitaturum martyris ENGELBERTI sepulchrum, & in altari, quod est ad caput eius, Missam defunctorum celebraturum. Mox à voto nuncupato redijt lumen, & ille fecit, quod promiserat.

Notatio ad Caput Decimum quartum.

Sacerdotem hunc fuisse ordinis Præmonstratensis Religiosum, & in Nobili cœnobio Heinesbergensi, quod subest curæ Abbatis Knechtstadenfis, Præpositum vel Sacellanum egisse manuscrip. innuit: ita enim ait: *Sacerdos quidam de Heinesberg ordinis Præmonstratensis.* Quamuis, vt apparet, mendosa sit illa capitis inscriptio, de sacerdote de Hemersberg.

Heinsberg

Hinsbergum vero siue Hinsberga in antiquis Schedis Mons Caballinus nuncupatur. Viderur enim, si nominis etymologiam spectes, ab equo & aggesto ab eodem monte deriuari; quamuis Streithagenus quasi Henrici Montem dictum suspicetur. Aliquibus etiam manuscriptis, Heinonis Mons appellatur. Oppidum est in extremitate terræ Iuliacensis, qua septentrioni obijcitur, & in confinio Geldriæ, duobus milliariis Ruremunda distitum; Dominorum gloria, Ciuium priuilegijs, aëris temperie & situs amœnitate nulli postponendum. Circuitu ad vnus circiter horæ spatium vrbs eius amplitudo clauditur. Deflectit leuiter ab oriente in septentrionem & planum in paludes, quod de Anxure Liuius ait, formam oblongam præbet.

Templum D. Gangolphi in cliuò exurgit, cui castrum in altero aduerso respondet; vtrumque altissima turri longè lateque conspicuum. Castrum insigni Canonicorum Collegio ab Oda Heinsbergi Domina circa annum 1140. fundato condecoratur. Sub annum 1150. in oppidi vmbilico. Gosvinius II. Heinsb. D. & Aleidis Palatina Sommersbergensis ipsius

psius vxor excitarunt nobilibus virginibus Præmonstraten-
 sis instituti monasterium, quod vsque ad Caroli V. tempora A
 mœnibus excludebatur: Cæterum Heinsbergum mœnibus,
 fossis, portis; ac propugnaculis à Duce Wilhelmo adeò mu-
 nitum fuit, vt vix vllum oppidum in Belgio ei comparati pos-
 sit. Atque hinc est, quod cum bello Iuliacensi inter Carolum
 V. & Wilhelmum ad annum 1542. suscepto, à Cæsareis
 13. Octobr. interceptum esset, integro anno à Wilhelmo
 Principe non potuerit oppugnatum recipi, sicut nec Suste-
 ren, licet mox Marcodurum & reliqua loca, à Cæsareis occu- B
 pata, etiam asperrima hyeme recuperarentur. Ipsum oppi-
 dum cum subiectis Gangelto, Milla, ac Fuchto, Theoderi-
 cus III. cum pro Comitatu Lossensi bellum gereret, pecu-
 niæ indigus abalienauit, & acceptis XXIV. millibus vete-
 rum scutorum, Eduardo Geldriæ Duci in pignus opposuit.

Caput Decimum quintum.

De muliere qua lumen oculorum annis viginti perditum recepit. C

Cæca reci-
 pit visum.

MVLIER in castro Nideckenfi, viginti annis nihil viderat. Vbi didi-
 cit ENGELBERTVM coruscare miraculis: Ego, inquit, ibo ad noui
 martyris monumentum, vt beneficia, quæ confert alijs, etiam mihi im-
 pendat. Venit ergò Coloniam, orat ad sepulchrum Episcopi, a perti-
 que oculis videt lumē cœli, quæ tot annis perpetuas senserat tenebras.

Notatio ad Caput Decimum quintum. D

IN manuscript. sic narratur: *Est quedam mulier in castro quod
 Nidecken vocatur, qua cæca viginti annis fuerat: Hæc dum die
 quadam de miraculis Episcopi ENGELBERTI audiret, spe recuperan-
 di luminis Coloniam se duci fecit dicens; Ego ibo visitare sepulchrum
 noui Martyris, vt gratiam, quam alijs impendit, etiam mihi imperti-
 ri dignetur: Quæcum Coloniam venisset & coram sepulchro Episcopi
 orasset*

*orasset, recepit visum, & quæ duce venerat, sine duce reuersa per noui
A Martyris meritum, visum diu sibi subtractum gaudens innouatum, ve
potius omnino reparatum: domui suæ nouum reuertavit miraculum.*

§. Nidecken.

Streithagenus in syntagmate Prouin-
ciæ Iuliacensis Nideckam describit *anti-*
quitus Comitum Iuliacensium sedem, atque
in Historiis, ab arce in colle commenda-
ri munitissima, quam olim cum vrbe à



Nidecken.

B Wilhelmo Iuliacensi excitatam penè tē-
poris longinquitas consumpsit. Tanta i-
pfitis fertur Aulæ latitudo, vt hastiludio aliquoties fuerit fre-
quentata ac celebrata. Huius ipsius arcis custodijs asseruati
fuere sub Wilhelmo quarto Comite, Conradus Hochsta-
danus, atque Engelbertus Falckenbergius Vbiorum Archie-
piscopi. Sub Gerardo illius filio Reinoldus Falckobergi Do-
minus, ac denique sub Wilhelmo secundo Duce Wences-
*C*laus Brabantia Princeps. Oppido nomen inditum tradunt
ab odio nescio quo vel cuius. Multis gaudet priuilegiis, ha-
bit inter cætera memorabilia cœnobium Virginum Præ-
monstratensium nobile, cuius hodie loco Prioratum (vt vo-
cant) Religiosi ex Steinfeldia administrant.

Caput Decimum sextum.

D De Monacho cæco, cui lumen redditum.

A Bbas Burnenbacensis vnum ex iunioribus monachis suis misit ad
monasterium veteris Montis. Is cum venam incidere sibi curasset, pu-
raretque non satis detractum sanguinis, atque ea causa etiam alterius
brachij venam aperuisset, cum sanguine lumen amisit. Id vbi cognouit
Abbas Burnenbacensis, ne esset illi cœnobio oneri, redire eum iussit
ad se. In illo itinere Colomiam veniens, orauit ad ENGELBERTI mar-
tyris tumulum, duosque cereos oculos obtulit, vtrumque fecit, si visus

Ee

ei

Cæcus
monachus
visum re-
cepit.

ei rediret, patrem ipsius duos argenteos oculos in eius honorem missu-
rum. Abit cæcus à sepulchro, venit ad locum quendam, qui erat mo-
nasterij veteris Montis, accipitur illic humaniter, & cùm causam cæci-
tatis suæ indicasset, Conuersus quidam hortatur eum, vt sanctum EN-
GELBERTVM Episcopum inuocet, responder ille se id fecisse: addit
Conuersus, vt benè confidat martyrem sibi non defuturum: moxque
inde recedit Conuersus, & post horam eo reuertitur. Eum verò mona-
chus iam videns, salutatur. Et conuersus ad eum: Vnde scis, inquit, me
hic esse, cùm nihil videas? Ille responder: Gratia Deo & beato ENGEL-
BERTO: perspicuè enim intueor & te, & quicquid est in his ædibus.

Notatio ad Caput Decimum sextum.

Burnen-
bach.

. Abbas Burnenbacensis.
IN manuscrip. dicitur Burnenbach
quæ domus est ordinis Cisterciensis
sua in terminis Wormatiæ, hodie iu-
risdictioni Comitum de Werthem
& Lewenstein subiacet.

§. Vnum ex iunioribus
Monachis.

Huic Vlrico nomen fuisse manu-
script. testatur.

§. Venit ad locum quendam qui erat Mo-
nasterij veteris Montis.

Surth.

IN manuscriptis legitur: *Venit diuente famulo ad Gangriam do-
mus Bergensis, quæ Sorenda dicitur modico à ciuitate Coloniensi distā-
tem.* In literis Collegiæ S. Georgij à B. Annone Anno 1059.
erectæ nuncupatur Soretham, sic etiam in archæo insignis
Collegij S. Seuerini lego, nunc passim audit Surth, ad Rhe-
num vix vno lapide supra Coloniā, diues ibi prædium hoc
etiam



etiam tempore Monasterium Montanum obtiner.

A Hæc quæ ex manuscrip. subiicio, minime omittenda erant, sed in epitomen Surii merito venire debuerant: ait autem manuscrip. *Gratias ago Deo & B. ENGELBERTO, quia bene video tam vos quàm ea quæ in domo sunt, nec non & flumiū qui fluit ante Gangriam, volens experiri frater si verum diceret, ait: quid est quod pendet in pertica? respondit, Manutergium. Et verum fuit, & redijt videns & glorificans Deum & S. ENGELBERTVM.*

B **Caput Decimumseptimum.**

De Monacho quodam Eberbacensi paralytico sanato.

EODEM tempore Monachus quidam Eberbacensis ad partes infe- Paralyticus
riores missus, in itinere antequam veniret Coloniam, membris o- curatur.
mnibus adeò paralyti cœpit diuexari, vt difficulter ad veteris Montis
monasterium posset perducī. Ibi in valetudinario manenti occurrerunt
miracula noui martyris ENGELBERTI. Vouet igitur se, si morbus ab-
scedat, Missam defunctorum dicturum. Mox sentit remissiū, & totus
C reualefcit.

Notatio ad Caput Decimumseptimum.

§. Ibi in valetudinario.

IN manuscrip. dicitur: Frater iste ad eam impotentiam de-
uenit, vt depositus in infirmatorio cum se erigere, vel in a-
Dliud latus vertere non posset, membrorum officio destitutus,
suspensi in trabe funiculi ad miniculo vti debuerit.

§. Reualefcit.

In manuscrip. illa adduntur: *Qui Deo gratias agens & Crea-
tori suo, S. ENGELBERTO cum ad claustrum suum rediret, & Tui-
tii cum magistro Ioanne eiusdem loci Abbate pranderet: hæc qua di-
ctasunt me audiente presentibus narrauit, duos predictos conuersos*

Ioannes
Sanctensis
Abbas
Tuitiensis.
lib. 3. vita S.
Engelberti
c. 5. pag. 198.
qui

qui & ipsi presentes erant testes inuocans: Hæc ibi: Ioannes verò Abbas Tuitiensis fuit nominis eius primus, in ordine Abbatum nonus decimus, cuius hoc libro meminim in notationibus quinti capitis. pag. 198. A

§. Eberbacensis.

Eberbach. Eberbach cœnobium est altero ab vrbe Moguntinâ lapide, non procul à Rheni ripâ distans. Quod B Bernardus rogatu Alberti Moguntini Archiepiscopi illo loco circa annum 1133. fundauit, vti notat Henriquez ad Menologium Cisterciens. Quamuis manuscr. R. P. Nicolai Serrarij Societatis IESV in Adelberto (quem Albertum nuncupat Henriquez) afferat, hortante S. Bernardo Adelbertum exædificasse Cisterciensium in Renigauia seu Ringauia monasterium, quod ab apro & riuo nomen habet Eberbachium, vt *inf. c. 50.*

Caput Decimum octauum. C

De Monacho iuvene à periculo fistula liberato.

Monachus. **M**ONACHVS iuuenis, dum vena illi inciditur, ita in brachio intumuit, vt morbus fistulæ timeretur. Dolore urgente, promittit se beato ENGELBERTO Psalterium lecturum. Illeò sentit se habere melius, ratur. dicitque cunctis, à sancto ENGELBERTO se curatum.

Notatio ad Caput Decimum octauum. D

Christia-
nus Hei-
sterbacensis. **M**Anuscript. ait hunc iuuenem appellatum Christianum, fuisse Monachum Heisterbacensem. Hic tamen alius fuit ab illo Christiano Heisterbacensi, de quo Cæsius lib. 4. dial. cap. 30. & lib. 12. cap. 34. & Henriquez in menologio. Ille etenim Christianus ante Martyrium S. ENGELBERTI, ex huius vitæ ærumnis fuit euocatus. Existimarè autem hunc Christia-

A Christianum fuisse Bonnensem, cuius Cæsarius meminit *lib. 11. c. 64.* Non tamen cuius *lib. 6. c. 3. & ca. 21.* mentionem facit, quem ibidem tradit Bonnensem fuisse Decanum & in anno probationis mortuum.

Caput Decimum nonum.

De Alardo Heisterbacensi monacho curato.

ALVIS iuuenis monachus, tribus mensibus paralyti in brachijs di- Item alius.
te vexatus, ubi ex alio iuvene iam dicto percepit, quam facile cu- Castigatur
ratus esset à nostri temporis martyre, vouit se illi quotidianas oblatu- Castigatur
rum preces, moxque sanatus est. Sed deinde preces illas negligens, pri- voti viola-
stino dolore cruciatur. Resipiscit verò, omissa repetit, & redit incolu- tor.
mitas.

Notatio ad Caput Decimum nonum.

ET hic Heisterbaci iuxta manuscriptos codices monasti- Alardus
cen professus erat. Nomen ei Alardus, ante professio- Heisterba-
nem Canonicus in Aldensele fuerat, uti Cæsarius scribit *lib. 10. dialog. cap. 55. & 72.* Alius verò ab illo fuit B. Alardus, quem pie defun- centis.
ctum describit Cæsarius *lib. dial. 11. cap. 19.* Nam hic abiecto sa-
go militari vitam amplexus in Lucka religiosam.

D Caput XX.

De matrona Colonensi ab immuni dentium dolore liberata.

MATRONA Colonensis, diues sanè, dolore dentium grauissimè
cruciabatur. Dentem vnum, qui erat totius mali origo, curat ex- Immanis
trahendum: sed radice relicta, atrociori dolore afficitur, ita ut furere dolor den-
videretur. Adit martyris ENGELBERTI monumentum, offert illic man- tium sopi-
dibulam ceream, domumque abiens, in ipso itinere se sentit incolu- tur.

Ec 3

mem.

mem. Quisnam ergo pontificis nostri sanctitatem in dubium reuocet, quem tot commendant præclara miracula? A

Notatio ad Caput Vigesimalum.

Nobilis
fœmina à
gravi infir-
mitate cu-
rata.

B. Rich-
mondis
Walber-
genſis.

Matrona hæc Richmodis nomen habuit, quod Romanæ nobilitatis fœminis apud Colonienſes, vt è vetuſtis documentis patet, familiare fuit. Erat Richmodi ſoror Elifabetha, quam à graui infirmitate liberatam Surius tacito pede tranſiuit. Sic autem inquit manuſcrip. *Cuius (Richmodis) ſoror Elifabeth nomine ſicut ipſa mihi naper retulit Colonia, à quadam grauiſſima & occulta infirmitate, per ipſum etiam liberata. Quis ergo Pontificem Noſtrum dubitet Sanctum, quem tot commendant inſignia miraculorum? Quod à Deo non eſt, diuſtare non poteſt.* NB. Non hæc fuit Virgo Richmundis, de qua Cæſar. *in dial. lib. 9. c. 33. 34. & lib. 8. cap. 7.* perhibet virtutibus eam fuiſſe cumulata, ac vitæ floruiſſe ſanctimoniâ, quamque Henriquetz in menologio X. Kal. Nouemb. Beatarum mentium numero C accenſet. Hæc enim ante S. ENGELBERTI necem fatiſ conſeſſit, virgoque celebratur in Walpurgēſi monaſterio, quod nunc à Societate IESV tenetur, ſepulta; non verò Matriona audit.

Caput Vigesimalum primum.

De muta in loco martyrii S. Engelberti curata.

Muta lo-
quitur.

IN pago quodam diœceſis Colonienſis puella erat ſex annorum, ab ipſo ortu muta. Ea cum oblationibus primùm ducta eſt ad ſepulchrum martyriſ: ſed cum non curaretur, perducta eſt ad eum locum vbi occiſus eſt. Vbi cœpit rectè & expedite loqui, quæ nunquam antea locuta fuerat, cum cœtis non immeritò admirantibus. D

Notatio ad Caput Vigesimalum primum.

Flatten.

Pvellam hanc ex villa Flattenē Diœceſis Colonienſis, oriundam refert manuſcript. Qui & ad finem capitiſ teſtes

restes huius tam illustris Miraculi producit, præter loci incol-
A las, Henricum Decanum Ruralem Christianitatis (vt arbi-
 tror) Tolbiacensis, huic enim
 Decanatu illa subest Parœcia.
 Trahit ex illa nomen, quæ pa-
 go dominatur, familia insigni-
 bus priori & hodierno sæculo
 viris illustris; è quibus Ioannes
 à Flatten Præpositus Aquisgra-
B nensis, Cranenburgicus, &
 Carpenfis, cõsiliarius V Vilhel-
 mi Iulix Ducis &c. notissimus
 prodijt, cui in eadem dignita-
 te surrogatus fuit Henricus à
 Vlatten.



Flatten.

Caput Vigesimalium secundum.

De Surdo restituto.

C **E**ST pagus VVestphaliæ Vlicdorp, in quo erat quidam ex multo-
 iam tempore surdus. Pro eo vxor quotidie orabat martyrem EN-
 GELBERTVM, addito etiam voto, si sanaretur, aditurum eum locum cæ-
 dis eius nudis pedibus & sine lincis vestibus, ibique oblationes suas
 daturum. Eo voto suscepto, ait surdus: Audio pulsari ad Missas. Stupet **Vide voti**
 vxor, dicitque ad eum? Audis etiam me loquentem. Audio, inquit, imò **efficaciam**
 verò nunquam mihi antehac melius audisse videor. Itaque gratias a- **in surdi cu-**
 gens Deo & martyri ENGELBERTO, abiit in Giuelsberg, vbi cæsus est **ratione.**
D martyr, & vota persoluit.

Notatio ad Caput Vigesimalium secundum.

S. Stupet vxor.

IN manuscript. habetur: *Audio pulsari ad missam; illa stupen-*
te de verbi nouitate, protinus adiecit: audio etiam vocem galli
nostri

nostri, cui cum diceret illa, num & me loquentem audis? respondit
audio. A

Vlichdorp

S. Landelinus.

Erpo comes Padbergi.

Miraculum de imagine crucifixi.

Vlichdorp pagus supremæ Archiepiscopi Colonienſis Angariæ Ducis ſubiacet iurisdictioni: Memorabile eſt quod de Monasterio ibidem ſuper oſſa B. Landelini conſeſſoris in honorem B. M. V. extracto, refert in tabulis fundationis, Erpo Comes

Padbergensis; In villa noſtra, inquiring, Vlichtorp incepimus ſtructuram noſtram conſummare, anno gratiæ milleſimo centeſimo primo in honorem Piæ Matris, & vt ardentius inſtare, benigniſſimus Deus flagello ſuo me torpentem excitavit hoc modo: Quodam tempore oppidanis in Harhuſen, fortè iniuſtè, in tantum offeſus, vt oppidum ipſorum totaliter deſtruere & conſumere vellem, & iam ignem immitterem, quidam de ipſis oppidanis ad Eccleſiam ſancti Magni glorioſi martyris fugientes, imaginem crucifixi Domini rapuerunt, & eam ferentes obuiam mihi furenti proceſſerunt; at ego præ furore rationem non capiens, ad portatores cum euaginato gladio, vt ſtultus miſer irrupi, & quod crucifixo pro corona capiti impoſitum erat percuffi, & partem in terram deieci. Nec ſine mora vltio diuina deſuit, nam digiti mei, quibus ferrum ad contumeliam ſanctarum reliquiarum ſtrinxe-ram, & manus in volam contracti, præſentiam æterni Iudicis ibi aſſeſſe & iram præſenſi: Tunc igitur, eius flagello caſtigatus, & tamen de eo quod ſcriptum eſt, flagellat omnem filium quem recipit, fiduciam ſumens, præſumebam à miſericordia Dei me diligere quod merebar affligi,
 præ-



præfata Ecclesiæ Beati Magni de meis possessionibus mansum vnum,
 A & Monasterio meo Vlehtorpensi omnia mea & me ipsum, ministe-
 riales meos cum beneficijs, & possessiones & seruos meos omnes mihi
 bene in hoc consentientes, **Dominae meae perpetuæ**

Virgini Mariæ contradidi.] &c.

Hæc ex literis foundationis Vlichtorpianæ adnota sse suffi-
 ciant. De aduocato hæreditario non admittendo &c. omiffa
 in aliud tempus referuauit.

B **Caput Vigefimum tertium.**

De paralytico, & surdo liberato.

VT verò Dominus martyris gloriam declararet, etiam per noctur-
 nas visiones quosdam admonuit eius suffragia implorare. In pa-
 go Iserlonensi fuit quidam, semiquinque annis ex paralyfi & linguæ
 manuum officio destitutus. Is sub meridiem quandoque obdormiens,
 audiuit vocem dicentem sibi: Dic auunculo tuo, vt ducat te in Giuels-
 berg, vbi occisus est Episcopus ENGELBERTVS, & curaberis. Mox ille
 C euigilat, incipit loqui, & gratias agit Deo. Stabat auunculus eius in me-
 dia domo, audiensque loquentem illum, alta voce dicebat: Quis lo-
 quitur in cubiculo? Respondet ille: Ego loquor. Accurrit auunculus,
 obtupescit, aitque ad eum: Qui fit, vt tam diu mutus, tam absolutè lo-
 quitur. Mutus lo-
quitur.
 quaris? Ille refert quam vocem audierit. Nondùm autem commodè
 ingredi potuit, quòd coxa diuturni morbi vi exesa esset. Itaque in ve-
 hiculo ductus est in Giuelsberg, in dies meliùs habere cœpit, ita vt exi-
 guo scipione fultus, iret quocunq; libitum esset, per merita martyris
 se sanatum vbique prædicans.

D **Notatio ad Caput Vigefimum tertium.**

§. In pago Iserlonensi.

ISerlonium hodiè oppidum est Comitatus Marcani, Satura-
 piæ titulo, & ferraria nobile, horis tribus Geuelsbergio dif-
 fitum. Iserlon.

Ff

§. Quam

§. Quam vocem audierit.

IN manuscripto hæc subiiciuntur, quæ non leue miraculo ^Amomentum addunt: *Sacerdos & Parochiani audientes infirmum ex miraculo officium lingua recepisse, ad hospitium eius venerunt, & dixit ad illum Sacerdos. Adiuuro te per Patrem, Filium & Spiritum sanctum, ut dicas quam diu fueris mutus, & quomodo nunc loquaris: Et narrauit ei, sicut auunculo suo narrauerat. Cui Sacerdos: cum sanatus sis in linguâ, sentisne aliquod remedium in cruribus? Quibus ait: nescio, & erigens se, tunicam induit, manibus tenens parietem; de camerâ, verò sine difficultate exiit, eo quod caro circa femora & suras ex infirmitatis magnitudine consumpta, ambulanti adhuc firmum gressum negaret.*

Caput Vigefimum quartum.

De Hermanno Ianitore sancti Martyris febricitante per visionem curato.

HERMANNVS * de Lechnich Episcopi ENGELBERTI ianitor fuit, ^Cquo munere hodieque apud successorem Henricum fungitur. Is ante Augustum mensem acerrima correptus febre, ita & corpore & mente defecit, ut vxore eius in eadem domo obeunte, amicisque eam plangentibus & ad sepulchrum efferentibus, ille prorsus non aduerteret, quid ageretur. Cumque tam miserè ad dies quindecim decubuisset, clara luce ostio aperto videt eminè beatum illum martyrem tanquam ad se venientem cum multis alijs religiosis viris, qui omnes erant albis induti, & ad collum habebant oraria siue stolas, ut solent sacerdotes. Ipse autem beatus pontifex mulæ albæ insidebat: iam enim lauerat ^Diuumentum carnis suæ in sanguine Agni. Hermannus ea visione exhilaratus, ad scæminas, quæ illic sedebant, alta voce dicit: Exite ocyus bonæ dominæ: ENGELBERTVS Episcopus venit ad me. Fratrem quoque suum, qui ad limen ostijerat, fortiter in clamans: Surge, inquit, frater, cede locum domino meo, ut possit ingredi ad me. Sed illis non se moventibus, quòd putarent vi morbi eum delirare, iterùm clamat: cunctique, dempta puella paruula, foras exeunt. Ante hos autem clamores miles

* An idem
de quo supra
p. 69. lit. C.

Visio cuiusdam.

A miles quidam iam vita functus, vir bonus & modestus, candidatos illos antecesserat, dixeratque Hermanno, ut se pararet: Episcopum ENGELBERTVM velle ipsum inuisere. Cùm ergò omnes egressi essent, beatus ENGELBERTVS, quem tum obiisse nesciebat æger ille, cum quodam monacho ignoto ad lectum eius accessit; aitque ad eum: Ut habes Hermanne? Respondit ille: Malè, mi domine: vel solum apostema lateris mei nimium me cruciat. Tum Episcopus ad monachum se vertens, Ad-
**Mira cura-
 ratio febricitantis.**
 edò, inquit, confectus est hic vir, ut meritò potuerit animam expirare. Deinde manu tangit apostema, moxque incipit sudare homo: & Episcopus, cùm ei benedixisset, euauit. Confestim adiutum se sentiens
B Hermannus, iam regressis intrò illis, qui exierant, rem omnem exposuit, laudatur ab omnibus Deus, & sanctus martyr eius ENGELBERTVS.

Notatio ad Caput Vigesimoquartum.

§. Is ante Augustum mensem.

Febreire cœpisse Hermannum ante mensem Augustum, anni M. CC. XXV. ex eo colligere licet, quod æger diceatur nesciuisse virum sanctum *tum obiisse*, vel ut est in manu scripti. quod Episcopum *tunc temporis mortuum* Hermannus ignorauerit, idque non vi morbi inducta obliuione, sed facti ignorantia. Aduer-
D bium enim temporis adijcitur verbo *obiisse*, vel participio præteriti temporis *mortuum*, ut hinc colligas miraculum hoc meritis Sancti nostri patratum haud diu post mortem illius accidisse, cum vndequaue nondum percrebuisset martyrium, aut ministro S. Martyris ægro, domestico: ū cautione Heri carissimi crudelē internecionē adhuc celatā fuisse.



Hermannus
 de Lechenich.

§. Ad dies quindecim.

Circa, vel post tempus mortis vxoris.

Ff 2

§. Miles

s. Miles quidam vita functus.

Wickardus de Hunefe.

Militem hunc seu virum Nobilem manuscript. vocat Wickardum ab Hunefe.

s. Monacho ignoto.

In manuscripto dicitur, Monacho ordinis Cisterciensis, quem ipse non nouit.

Caput Vigefimum quintum.

De viro Nobili tumore, & dolore pedum duplici miraculo liberato.

Nota anti-
quū vsum
in oblatio-
nibus fa-
ciendis.

NOBILIS quidam valdè laborabat è pede. Monitus ab Abbate nostro, vi sancto ENGELBERTO cereum pedem voueret, fecit sic, & curatus est: sed tumor & dolor omnis ab illo pede migravit in alterum. Dicente autem Abbate, sanctum Episcopum duos velle cereos habere pedes, ille alterum quoque pedem vouit, & repentè dolor omnis euauit.

Notatio ad Caput Vigefimum quintum.

s. Nobilis quidam.

Christianus de Bergis.

IN manuscriptis vir ille nobilis Christianus miles de Bergis appellatur. Fuerat is à ministerio Martyri nostro. Hinc ea vox in manuscripto, *Totiens fui in eius obsequio, spero quod misericordiam quam alijs impendit mihi non negabit.* Quin & S. Martyris lateri adheſiſſe, conijcitur ex literis archiui parthenonis ad S. Maximum Colonix: quas inter asseruatur diploma, quo B. ENGELBERTVS donationem quorundam bonorum vel alicuius



prædij

prædij in Buckelmund, à Theoderico de Berghufen & Wilhelmo de Mullenheim militibus, huiusq; filiis Alberto & Wilhelmo pro animarum suarum salute factam Beatrici Magistræ consanguineæ ipsorum & conuentui ad S. Maximinum cõfirmat anno Christi 1221. testesq; laudat: Godefridum de Ciule, Baldeuvinum Vmberaden, CHRISTIANVM DE BERGE, WINRICVM DE BERGE, Theodericum de Lutzenheim, Wilhelmum de Foro, Hermannum de Mumberloch, Walterum & Reimarum de Dorne, Conradum Kleingedanck, Richolphum Saphir, Richolphum Perfuse, Ioannem de Lingatzin, Mauritium Aurifabrum, Godescalcum Nigrum, Lambertum de Storheim, qui omnes videntur latera Martyris stipasse.


§. Monitus ab Abbate nostro.

Abbas ille fuit Henricus vir genere Nobilis, Germanus Christiani de Bergis, vt manuscript. codex testatur. Ipsum fuisse Canonicum Bonnensem, re ditibus abundasse, Deoque inspirante clam suis ad ordinem Cisterciensem adiecisse animum; à fratribus secundum carnem retractum, sed nequicquam ijs obstantibus tandem fuga elapsum, & habitu religioso indutum esse Cæsarius *lib. 1.*

dial. c. 13. reliquit. In ordine vitam degit laudabilem, Prioris munia obiit, Geuardo Abbati circa Annum 1206. vita functo vnanimi planè electione successit, & à Ioanne Treuitorum Antistite consecratus est eo tempore, quo Bruno Seienensis Archiepiscopus Colonienfis prælio Wassenbergenfi *sup. pag. 40.*

Ff 3

à Phi-



à Philippo Sueuo captiuus abductus fuerat. Idem Henricus, magnus Diuæ Matris cultor apud Cæsarium audit. Vide *lib. A* 7. *diab. c. 40.* Eundem Henricum vices Abbatis Clarævallensis in visitatione Frisix egisse, ab eiusque instructione Canonicum quendam Cathedralem Traiectensem conuersum, prodit idem Scriptor *lib. 1. c. 18.* Adde, pro B. ENGELBERTO Henricum Abbatem cum Gerardo Monacho Heisterbaccensi Bonnensi quondam Scholastico visitationis munus obijisse, vt testatur ex Grāmatophylacio Vilecensi diploma B. ENGELBERTI de anno 1219. Cæterum à Menologio Cisterciensi ad 11. Nouembris, idem ipse Henricus de Berge Beatis est annumeratus. B

Fides historica Cæsarij. Sub huius capituli finem hæc in manuscripto adduntur verba: *huius miraculi ego frater Cæsarius testis sum*, vt suæ ex præsentia ipsius concilietur auctoritas narrationi: illo enim scribebat tempore Cæsarius, quo facile insimulari potuisset falsitatis, si quid ex vano aut leui aliquo acceptum indicio, literarum commendasset monumentis. Prima vero historix laus est veritas, quam Cæsarius non in rebus gestis solum & miraculis B. ENGELBERTI, iussu Principis Electoris & Archiepiscopi Colonensis Henrici posteritati consecratis, est consecratus. sed in alijs etiam, quos multi frustra sugillant, miraculorum libris: illos etenim reconditæ pietatis & doctrinæ refertos existimo, atque archiuis ac temporum personarumque circumstantijs reperio contentaneos. Nec temerè quidquam auctor noster vitæ sanctimoniam excellens scribere est credendus. Profecto miraculorum dialogos in lucem cum emisit, adhuc illi ipsi, quorum actus referbatur, aut eorum necessarii, vel saltè rerum gestarum spectatores viuebant, qui libros illos, si à verò abiissent, haud permisissēt. Nec Deum aduocasset in fidem suæ historix, quem tamen vitæ sanctus in præfatione sua his laudat verbis: *Testis est mihi* D

A mihi Dominus, nec unum quidem capitulum in his dialogis me finxisse; quod si aliqua fortè aliter sunt gesta, quam à me scripta, magis videtur imputandum esse, à quibus mihi sunt relata.

Caput Vigesimum sextum.

De familiare quodam Ducis Limburgensis, cuius pollex contritus sanatus est.

EODEM tempore quidam è familia Ducis Limburgensis, pollicem contritum habuit. Venit ergò Coloniam, & cum manum ceream ad sepulchrum martyris obtulisset, curatus est.

Caput Vigesimum septimum.

De incolumitate cuidam contracto reddita.

ALIJS in eiusdem Ducis castro natus, miserè contractus fuit. Ei ironicè dicere solebant nobiles principis illius: Abi, abi Coloniam ad S. ENGELBERTVM, vt sanet te. Ita illi insultabant martyri propter veteres similitudines, quæ Duci eorum cum ENGELBERTO intercesserant.

CTandem homo abiit Coloniam, & tribus continuis diebus orans a-
 pud sepulchrum martyris, exauditus est. Cumque domum reuertisset, redditur
 & cum nobiles illi, atque alij eius regionis homines sanum viderent, incolumi-
 quem biennio fœdè contractum nouerant, pudefacti dicebant; Iam ^{tas.}
 reuera cernimus Archiepiscopum ENGELBERTVM sanctum esse.

Notatio ad Caput Vigesimum septimum.

D §. Eiusdem Ducis.

Dux iste Limburgensis erat Walramus, de quo *lib. 2. c. 12. p. 167.*

§. Castro puta Rodensi.

Sicenim manuscr. codex habet Hertzen-Rode quod Ducis noualia sonat. Oppidum est cum castro, non adeò amplum, sed concinnum & veteri arte cõspicuum,



Hertzen-Rode.

cuum, quod Falcoburgo Leucæ circiter spatio diffidet, est-
que quarta ex trans-Mosanis Brabantiaë ditionibus, auctore ^A
Guicciardino in Brabantia.

Caput Vigesimalium octauum.

De alio cui gressus restitutus est.

Item alteri **Q**UIDAM decem annis absque scipionibus ambulare non poterat.
Venit ad tumulum martyris, & scipionibus illic relictis, domum ^B
sanus reuersus est.

Notatio ad Caput Vigesimalium octauum.

§. Domum sanus reuersus est.

Herderen? Fuisse hunc domo Herderensem, Tungros inter, & Tra-
iectum, ad Mosam manuscript. codex testatur. ^C

Caput Vigesimalium nonum.

De dolore capitis, & gutturis mulieri Colonienfi profligato.

Dolorca- **M**ULIER quædam Coloniaë in platea salaria habitans, nouem an-
pitis & gut- nis dolore capitis & gutturis laborauit. Nocte quadam, doloris
turis pro- tumor & dolor omnis abscedit. Manè igitur adit sepulchrum eius, hila-
figatur. riter suas oblationes exhibet, agit gratias, & læta redit ad suos.

Notatio ad Caput Vigesimalium nonum. ^D

MAnuscripti nihil hoc capite amplius afferunt, quod
Surianaë editioni mereatur addi.

Caput XXX.

De puero contracto, & Ministro Episcopi Mindensis curato.

Pueri con- **M**INDENSIS Episcopus veniens in Giuelsberg, orandi causa ingressus
tracti cura- est in sacellum, quod illic in loco cædis eius fabricatum est, Obla-
tio. ^{tus}

A tus est autem ei illic puer, qui contractus fuerat, & ibidem sanatus. Eum intuens Episcopus: Vnus, inquit, ex famulis meis tã dirè cœpit morbo laborare in hoc itinere, vt ab equo in terram deponi eum oportuerit. Dumque tractarem, quid faciendum illi esset, tandem recordati Archiepiscopi ENGELBERTI, rogauimus vt suis meritis misero opitularetur. Simulatque nos preces absoluimus, ille surrexit sanus, & conscenso equo, martyri gratias egit.

Notatio ad Caput Trigesimum.

B S. Mindensis Episcopus.

Quis ille fuerit lib. 2. c. 4. pag. 136. in Notatione dixi, *Eius profapiam hic subijcio.*

STEMMA COMITVM



DE DIEPHOLD.

Rodolphus

Conradus Episcopus Mindensis Confessarius S. ENGELBERTI.

Gg

Rudol-

| | | |
|---|-------------------------------------|---------------|
| Rudolphus | Ioannes Episcopus Mindensis, | A |
| Conradus | | |
| Conradus in Frisia mortuus | 1426. | |
| Ioannes | Rudolphus Episcopus Ultraiectensis. | |
| Ioannes Episc. Osnaburgens. | Conradus Episc. Osnab. | Otto |
| Conradus mature mortuus. | | Rudolphus. |
| Fridericus alumnus Henrici Luneburg. Ducis | | mortuus 1529. |
| Rudolphus ex Margarita Hoiensis Comitis Iudoci filia. | | |
| Fridericus. | | |

§. In sacellum.

Ligneum
facellum in
Geuels-
berg.

Iter Min-
denfis Epi-
scopi.

Henrici à
Moléarck
Archiepi-
scopi con-
secratio.

Ex Cap. 59. huius libri docemur in loco interneccionis sanctissimi Martyris primitus crucem ligneam fuisse erectam; Cui successit sacellum leuioris operis è lignis quoque constructum, vt colligitur ex manuscript. cap. 52. ibique notatis. Ex capite autem quinquagesimo tertio in manuscript. liquet sacelli illius lignei construendi deliberationem non nisi acta iam hyeme institutam fuisse. Conferantur notæ c. 53. Ex his omnibus non malè coniectare possumus, miraculum, de quo D præsentis capite, & iter Episcopi Mindensis in adultam iam ætatem, aut porro in eiusdem decursum incidisse. Cum enim Henricus à Molenarck successor S. ENGELBERTI anno 1226. in peruigilio S. Matthæi Apostoli magna solemnitate Colonia consecratus sit in Archiepiscopum faciente Theoderico Archiepiscopo Treuirensi præsentibus suffraganeis omnibus Ecclesiæ Coloniensis, vt scribit Pantaleo-
nita

A nita, quos inter quarto loco fuit Episcopus Mindensis, qui
 vt dicitur in manuscript. *ad ordines Henrici iens, in sacello Ge-
 uelsbergensi orauit &c.* vero mihi fit simile ante collationem
 ordinum autumnalem, quæ consecrationem Henrici præ-
 iuit hæc contigisse & (quod Historiæ Coloniensi seruit) cir-
 ca idem tempus Henricum ab Episcopo Mindensi, sacro
 Presbyteratus ordine esse initiatum, nisi lubeat verba ma-
 nuscripti sic explicare: vt ire ad ordines Archiepiscopi i-
 dem sit quod ire ad consecrationem, & si in eo sensu hæc ac-
B cipiuntur, nihilominus historiæ tempus conuenit.

Caput Trigessimum primum.

De conuerso Campensi à tentatione importunâ per ipsum liberato.

CONVERSUS quidam Campensis monasterij, olim nobilis fuerat,
 & vitæ sic satis honestæ. Huic oranti adeò importunè se ingerebant *Eccl. 10.*
 cogitationes diuitiarum & honorum mundi huius, vt instar muscarum
 morientium, suauitatem vnguenti, id est, orationis deuotionem, per-
C derent. Crebrò ille corpus suum cædebat virgis, & multorum Sancto-
 rum suffragia implorabat, vt liberaretur: sed non impetrauit. Tandem *nes perni-
 ciosæ abi-
 guntur.*
 memor Archiepiscopi ENGELBERTI pro iustitia cæsi, flexis genibus il-
 lum inuocauit, & eadem hora adeò liberatus est, vt deinceps nihil eiuf-
 modi sentiret,

Notatio ad Caput Trigessimum primum.

D Manuscript. ait conuerso huic nomen in sæculo fuisse Gerhardus
 Gerhardum cognomen Odocar. ab Odocar

§. Campensis Monasterij.

In finibus Diœcesis Coloniensis infe-
 rioris iuxta celebrem in Belgicis bellis
 munitionem, nuper ab Hollandis trium
 septimanarum spatio expugnatam Reni-
 bercam, successor Hermanni diuitis Fri-



Monaste-
 rium Cam-
 pense.

Gg 2

dericus

dericus Archiepiscopus quondam anachoretis Cisterciensibus cœnobium veteris Campi, loco amœnissimo ædificauit, A ita vt ab Aquilone Cliuiam, ob occidente Geldriam oppida spectaret.

Caput Trigesimum secundum.

De Muliere cuius filium paralyti liberauit.

Paralyti-
cus sanatur **M**VLIER quædam filium habens paralyticum, martyri vouit se cum filio, si eum sanaret, venturam ad eius monumentum, & munera ^B oblaturam. Votum mox consecuta est salus ægroti: & martyri iucundis animis persolutum est, quod fuerat promissum.

Notatio ad Caput Trigesimum secundum.

MAnuscript. dicit foeminam hanc fuisse ex villa Herckrode, iuxta Hemersberg, nomine Helewigem, filium appellatum Gerhardum, qui tribus mensibus sic paralyti de- cubuerat affixus lecto, vt vsu pedum amisso profus incedere non posset.

Caput Trigesimum tertium.

De Pueri quem à caduco morbo sanauit.

ALIA mulier, natione Geldrensis, Colonia in parœcia S. Seuerini ^D degebat vidua cum matre sua & filio adhuc puero, qui miserè caduco morbo affligebatur. Quod cum mater ferret molestissimè, dixit quandoque matri suæ: Audio Episcopum ENGELBERTVM multis clare miraculis: quid si ducamus filium ad sepulchrum eius? Respondit Temeritas illa: Cras eum ducemus ad aram sancti Cornelij, quæ est in Ecclesia S. foeminae Seuerini. Is enim solet huic mederi morbo. Manè igitur veniunt ad altare, offerunt munera, & orant pro puero intentissimè. Ea die visus est Miraculū. planè liberatus à morbo puer. Itaque auia eius, tanquam improperans marty-

A martyri ENGELBERTO : En, inquit, antiqui sancti norunt beneficia præstare indigentibus. Postridiè rursus inuadit morbus puerum, solito etiam infestior. Id mater tremebunda conspiciens, puerum cum cereo adducit ad tumulum martyris ENGELBERTI, eumque plena fide illi imponit, oratque cum gemitu & lachrymis pro illo. Sanatur puer, nec unquam in morbum illum recidit.

Notatio ad Caput Trigessimum tertium.

B Manuscriptus codex testatur hunc puerum singulis diebus ante liberationem bis vel ter solitum linqui animo, ac sub finem hæc verba subijcit: *Sicut testis est Plebanus prædictæ Ecclesiæ sancti Seuerini, nunquam postea idem puer reciduum passus est. Mira charitas Sanctorum: Non illum Cornelius corruentem curare voluit, & ut vexaretur seuerius Seuerinus permisit, quatenus in eius sanatione noui Martyris ENGELBERTI merita possent declarari.*

C §. Ad aram S. Cornelij, quæ est in Ecclesia S. Seuerini.

Anno salutis partæ 376. In honorem BB. Cornelij & Cy- BB. Tetdo
priani Martyrum à S. Seuerino Colonienfi Archiflamine & ENGEL-
basilica est excitata, quæ postea ab illatis ipsius Præfulis & in- BERTVS
stitutoris reliquijs S. SEVERINI ædes est nuncupata. Illustra- Præpositi
D uere illam olim Præpositi; Et quidem circa annum Domini S. Seuerini.
864. B. Theddo, qui relicto Cameracensi Episcopatu priua-
tam egit vitam, ac diuino cultui mancipatus. Tandem 4.
Septemb. obiit, inque S. Erasmi sacello Basilicæ continente
fuit conditus. Singulare ipsius inter cœlites patrocini-
um testari videntur, anathemata olim ad eleuatum ipsius sepul-
chrum oblata. Circa annum verò 1210. ornauit eam Sanctus
noster ENGELBERTVS, qui pluribus illam auxit cumula-
uitque priuilegijs, atque intra iurisdictionis ipsius terminos,

Ecclesiam S. Catharinæ Hospitalium militum erexit, ac fundavit. Extat quoque in Seuerini archiuo diploma, quo S. ENGELBERTVS noster sub annum 1219. ipsâ conuersionis S. Pauli in claustro S. Florini apud Confluens confirmat initas quasdam inter Hospitale S. Catharinæ in vrbe Colonienſi & S. Seuerini Ecclesiam, compositiones.

Caput Trigesimum quartum.

De quodam Surdo, qui ad sepulchrum eius sanatus est.

Surdus
audit.

SVRDVS quidam peregrè Coloniam venit, martyris sepulchrum adiit: & cum obrulisset preces, ilicò restitutus est.

Notatio ad Caput Trigesimum quartum.

Manuscriptus sic loquitur:

Iughen.

§. Est homo quidam in Iughende Hermannus nomine, quem in tantum surditas oppresserat, vt clangorem cornuum siue buccinarum audire non posset.

Vetus miraculorum tabula ad B. ENGELBERTI tumbam suspensa, vocat Iugene, qui pagus agri Iuliacensis præfecturæ Castrenſi subiacet.

Caput Trigesimum quintum.

De muliere qua cum brachio visu vnius oculi sanata.

Cæca oculi & brachium curantur. **M**VLIER quædam Colonienſis nouem annis vno orbata oculo, & alterius brachij officio destituta, apud beati martyris sepulchrum sic orauit: Domine, si anima tua est apud Deum, vti creditur, intercede pro me apud illum, vt per me declarentur merita tua. Mox vt illa cessauit orare, oculo lumen, brachio pristinae vires redduntur. Atque hoc quidem primum fertur fuisse miraculum ab eo Colonie editum: sed

tum

tum annoratum non fuit, sicut & alia multa, quæ propterea hodie
 A ignorantur.

NB multi-
 tudo mira-
 culorum.

Notatio ad Caput Trigesimumquintum.

Manuscriptus ait, mulierem hanc in platea Strickgasse habitasse, & audito quod Dominus ENGELBERTVS propter pacis conseruationem occisus est, & quod anima eius propter Martyrium in pace quiesceret, ad sepulchrum eius venisse.

Caput Trigesimum sextum.

B De Muliere à paralyse curata.

FŒMINA quædam miserandum in modum contracta annis quatuor & mensibus sex, Coloniam adducta, & apud martyris tumulum deposita, cum ad duas horas precata esset martyrem, paulatim se subrexit, & interim neruos laxari sensit. Tandem nullius freta adminiculo, pedibus suis redijt in pagum suum, vbi que martyrem laude & prædicatione efferens.

Contracta
 restituitur.

c Notatio ad Caput Trigesimum sextum.

Manuscriptus ita eius narrationem inchoat: *Venit & alia mulier Eueza nomine de Villa qua Belle vocatur iuxta lacum claustrum monachorum &c.* quibus verbis Lacensis pagus ab alijs eiusdem nominis prope Coloniam distinguitur: *Cæsarius lib. 9. dial. cap. 65. Iuxta, inquit, Coloniam in villa qua Belle vocatur &c.*

Bell.

NB. Ab hac nomen suum mutantur Domini in Flarsem & Montis B. Lufftildis, alique de nobilissima gente Schalliorum à Bell, quorum alias ego originem & signum ex Vbia Romana antiquitate erui.



Schall à
 Bell.

Caput

Caput Trigesimum septimum.

A

De pellione, cuius brachium sanauit.

S. ENGELBERTUS COLONIENSIS TRIBUS MULCTARAT.

Nota miraculum.

PELLIO quidam est Coloniae notissimus. Eum magno alterius brachij dolore excruciatum hortabatur vxor, vt adiret Episcopi ENGELBERTI monumentum, & pro sanitate eum deprecaretur. Ille indignabundus respondit: Id ego non faciam. Cùm enim in viuis esset, prater ius à me quatuor marcas accepit. Et vxor: Non ita, inquit, loquaris: sed eas ad sepulchrum eius, & dicas te nunquam repetiturum illam pecuniam, siue iure, siue iniuria data sit. Initio enim pontificatus eius acerba inter scabinos & tribus ciuitatis orta erat dissensio: quam cùm componere non posset ob tribuum pertinaciam, quatuor millia marcarum ab eis exegit, è quibus hic pellio quatuor marcas dependerat. Acquiescit vxoris consilio, abit ad monumentum, dicit animo simplici: Domine, siue rectè, siue prater fas à me acceperis quatuor marcas illas, ego te liberum pronuncio apud Deum. Oro igitur, vt precibus tuis sanes brachium meum. Dixit, & ilicò sanatus est: ostenditq; brachium Decano summæ ædis, merita martyris prædicans.

C

Notatio ad Caput Trigesimum septimum.

Manuscriptus Pellionem Ervvinum nominat.

Caput Trigesimum octauum.

De Puerò à tertianâ febre curato.

Reliquiæ S. Engelberti argenteo à Magnatibus includuntur.

IDEM Decanus abiit ad castrum Radenrodense, inuisere volens cognatam suam. Cumque inter se conferrent de miraculis Episcopi ENGELBERTI, Decanus matronæ illi dedit dimidiam zonam eiusdem Episcopi, quam argento ornandam curauerat. Erat tum in castro illo puer tertiana laborans, quem matrona cingens zona illa, Domine Archiepiscope, inquit, quàm verè est anima tua apud Deum, tam certò curetur hic puer per merita tua. Confestim abiit febris, nec ausa fuit redire ad puerum.

D

Notatio ad Caput Trigesimum octauum.

Randerodium præfectura est agri Iuliacensis ad Wormium fluuiolum

fluuiolum, lautam illius arcem destruxit Fridericus II. Archiepiscopus Coloniensis, ex cuius ruinis quatuor adhuc lateritiæ turres, vnde pristina ipsius colligi possit magnificentia, supersunt. Vastitatem præcipuam Henricus Brabantia Dux propter colluuiem Albigensium, binis expugnationibus intulit, iussu summi Põtificis Gregorij noni, anno 1226. teste Petro Diuæo *lib. 10. rerum Brabant.* statim post SANCTI ENGELBERTI Martyrium.

S. Matrona.

B Manuscriptus ait, fuisse vxorem Nobilis viri Gerhardi, quem Leuoldus refert in prælio, quo Otto Rex apud Bouinas * succubuit, à Francis fuisse captum. Decanus autem fuit Gosvvinus de Randenradt, cuius in allatis à me documentis frequens facta est mentio. Atque in Metropolitana Coloniensis Ecclesiæ Necrologio dies eius fatalis perhibetur 6. Februarij.



* *Vida supra pag. 53. lit. D*

D Caput XXXIX.

De Matrona à duplici quartana curata per ipsum.

MATRONA quædam duplici conflictata quartana, per merita sancti martyris reualuit. *Ægra conualefcit.*

Notatio ad Caput Trigesimum nonum.

MAnuscriptus hanc matronam dicit vxorem Christia ni de Weuellinghouen, qui pagus est inter Greuenbroch Weuellinghouen

Hh

broch

uenbroch & Hulckradt, ditio & dominium Archiepiscopa-
tus Coloniensis complectens pagos Wingarthen, Lang-
vvaden, arcem cum Busch Hundiorum, domum Comitis
Benthemij ac Nobilium Duitz, quæ omnia olim Leientha-
lio, B. Petri ibidem castro, nunc autem diruto parebant.

B. Aleidis
pœnitens.

Christianus de Weuelinghouen, vti ex linea Genealo-
gica demonstro, erat filius Christiani fundatoris Præmon-
stratensium in pago Langvvaden, vbi Aleydis pœnitens flo-
ruit, quam Chrysofomus Henriquetz Beatis annumerat, B
ac celebrat Cæsarius lib. 30. dia-
logorum cap. 13.

Stirps
Weue-
linghoue.

Quæ verò huic
mulieri sanatæ fides sit adhi-
benda, ex Nobilitate filiorum,
ac stirpis Weuelinghouianæ,
quam nobis archiuum Lanck-
vvadense tradit, Lector acci-
piat: Ita enim exhibet.



Christianus de Weueling-
houen tempore Arnoldi pri-
mi Archiepiscopi Coloniens-
is adduxit ex Hillesheimen-
si cœnobio Priorem & Soro-
rum Præmonstratensium Co-
loniam in Lanckvvade, pri-
mus fundauit.

Christianus de Weue-
linghouen. N. Vxor
miraculose sanata per
sanctum ENGEL-
BERTVM.

Albero de Weuelinghouen, qui cum
fratre Christiano tempore Philippi Ar-
chiepiscopi, donauit curtem suam in
Yffe monasterio Lanck-
vvadensi.

Nobilis

| | | | | | |
|----------|---|--|--|-------------------------------------|--|
| A | Nobilis vir Til- mannus de We- ueling- houen, Vxor N. | Florentius Canonicus Metropol. Colonien- sis obiit 14. Kalend. Martij. | Beatrix Abbatissa S. Cæci- liæ, | Irmgardis Canonica S. Vrsulæ. | Theode- ricus de Weue- lingho- uen, vxor eius Hel- vvigis. |
|----------|---|--|--|-------------------------------------|--|

Florentius de Weuelinghouen.

B Caput Quadragesimum.

De Hermanno Aduocato à passione ilica curato.

HERMANNVS Aduocatus Colonienſis, ad eò cruciabatur dolore la-
teris, vt familia omnis ilicò moriturum exiſtimaret. Intolerabili i-
gitur cruciatu affectus, ita exclamauit: O Domine Archiepiſcope, ego
te præ omnibus dilexi, & tu quoque me non medioeriter amaſti: oro
vt me hoc morbo liberet. Sed cum non ſtatim aſſet remedium, do-
loris immanitate ſtimulatus, ſubſtomachans ait: En omnes, etiam qui
te non nouerunt, tu adiuuas: me qui tibi inferuiui, teque ſemper ama-
Cui, negligis. Cumque hæc & id genus alia diceret, filij & famuli eius
vouerunt ſe cum illo ituros in Guelsberg, vbi beatus Epiſcopus cæſus
eſt, ſi illum ſanaret. Vouet illi, & ille obdormit: ruruſq; expergiſcēs: Ni-
hil, inquit, mali ſentio. Gratias ago Deo, & Epiſcopo ENGELBERTO.

Mira vis
voti nun-
cupati.

Notatio ad Caput
Quadragesimum.

D Hermannum Aduocatum
in documentis à Philippo
Archiepiſcopo conſignatis re-
perio Gerhardi Colonienſis
Aduocati filium nominari. Ipſe
fuit de nouæ aquilæ Comitibus,
quorum proſapiam ex archiuis
depromptam dabo.

H 2 Caput



Nevvenar.

Caput Quadragesimum primum. A

*De infante in balneo suffocato & per inuocationem nominis
B. ENGELBERTI resuscitato.*

Infantem
mortuum
excitat.

FŒMINA quædam è Flandria attulit filium suum infantem. Cum-
que cum in balneo posuisset, & necessitate urgente ab eo recessisset,
illius oblita est. Post horam verò reuertens, cernit infantem aquis præ-
focatum. Itaque incredibili correpta dolore, simul etiam recordata
martyris, qui tum passim ferebatur multis coruscare miraculis toto cor-
de cum lachrymis & suspirijs orauit eum, vt excitaret filium ipsius. Re-
dit anima in viscera infantis, mater ineffabili afficitur gaudio, venit
cum infante Coloniam, & apud sepulchrum martyris gratias agit im-
mensas. Quis te pro his non magnificet Domine Deus? Ecce per marty-
rem tuum ENGELBERTVM cæci vident, claudi ambulant, paralytici
curantur, surdi audiunt, tertianæ & quartanæ febres profligantur, epi-
leptici & alijs diuersis implicati morbis, sanantur, etiam mortui reui-
uiscunt. Si non esset hic homo cum Deo, imò potens apud Deum,
non posset facere quicquam. B

Notatio ad Caput Quadragesimum pri-
mum. C

MAnuscriptus tradit hoc miraculum Leodij, contigisse,
quo venerat è Flandria mater cū filio postea suffocato.

Caput Quadragesimum secundum.

De miraculo intestinorum eius. D

REFERAM nunc quoddam non exiguum sanctitatis eius documen-
tum. Godefridus Comes de Arnsberg, venit quandoque ad mo-
nasterium Montense, & cum mentio incideret, quemadmodum illic
tractatum esset corpus beati martyris ENGELBERTI, sciscitabatur ille,
vbi viscera eius humata essent. Dicentibus monachis, in cœmeterij fos-
sa quadam vulgari condita esse: Non decet, inquit, tanti principis, imò
martyris miraculis coruscantis, viscera tam negligenter haberi. Obtem-
perant

Viscera
martyris
incorrupta
post mul-
tas hebdo-
madas.

A perant verò illi fratres, amouentque à sepulchro humum: & ecce viscera martyris adeò cernunt recentia, ac si illa hora è corpore extracta essent. Nihil in eis corruptionis, nihil fœtoris sentiri potuit, cum tamen iam quatuordecim hebdomadas tumulata fuissent. Admirantur fratres haud vulgariter, agnoscunt Dei virtutem & martyris merita: collecta viscera in scrinio reponunt, & ante altare honorificè condūt.

Notatio ad Caput Quadragesimum secundum.

B S. Godefridus.

IN notatione huius capituli Arnsbergensium Comitum conditionem, sedem, & genealogiam obiter ostendam. Ac principio quanta eorum fuerit ditio, testantur literæ, quibus (vt earum verba retineam) Godefridus & Anna Cliuica Comites Arnsbergenses, anno 1368. 25. Augusti Colonienſibus vendiderunt Comitatum Arnsbergensem cum iuribus, dominijs, iurisdictionibus, altis & bassis, ac mero & mixto imperio, ac specialiter cum castris & oppidis in Arnsberg, in Nehem, in Greuenstein, in Euersberg, in Hachen, item in villis & oppidis in Hustene, in Aldendorp, in Sundern, in Langescheidt, in Hachen, in Frehenolen, in Stegenhagen, in Bodensfelde, in Mescheide, item cum villis & Parochijs in Korbecke, Allagen, Bremen, Voifwinkele, Eggrinhufen, Balue, Affele, Stocheim, Hieluede, Kalle, Velmede, Remmelinghufen, Bye, Reste, Weenholthufen, Haerbocke, Yffelpe, Oeueren kirchen, Esselne, Wurmbecke, Lene, Ouerfunderne, Oldinge, Berghufen, ceterisque villis & parochijs vniuersis, item cum dignitate officio, seu prærogatiua iuris primipilariatus seu antebellatoris inter Weseram & Rhenum, nec non cum omnibus & singulis hominibus, ministerialibus, castrensibus, fidelibus, vasallis, militaribus, oppidanis, villanis, litonibus, seruis, & ancillis & subditis quibuscunque & cæter.] Rhenū & Hæc ad verbum ex literis, quas præter Godefridum & Annam Visurgim Comites, sigillarunt: Antonius de Reidere, Rutgerus dictus Kettelere, est primipilares. Heidenricus dictus de VVolff, Arnoldus Hacken, VVilhel-

Emptio
Arnsber-
gensis co-
mitatus.

Arnsber-
gensis co-
mitatus
latitudo.

Arnsber-
gensium
comitum
ius inter

mus

Arnsber-
genſis de-
ſcriptio.

Arx Arnſ-
bergenſis.

Oppidum
Arnsberg.

Abbatia
Vveding-
hufen.

Stirps
Arnsber-
genſis.

mus dictus Quaterlandt, Arnoldus de Berninghufen, Ioannes dictus Schureman, & Conradus dictus VVrede, armigeri caſtrenſes, & fide-^A les, neclon proconſules, Conſules, ac Vniuerſitates, oppidorum, Arnſberg, Nehem, Greuenſtein, Hirtzberge.

Deinde vetuſta horum Comitum ſedes etiamnum appel-
latur Arnsberg, (id eſt, Aquilinus Mons) quam deſcripturus
ex naturali ipſius ſitu, in tres diuido partes; Arcem videlicet,
oppidum, & Monafterium. Arx in editiore montis cacu-
cem montis pendulum, cum circumfluente Amne Rura iu-^B
cundiffimè deſpicit. Nam in promontorio ſenſim decliui
tres quaſi diuerſæ ciuitates conſpiciuntur protrufa, quas in-
ter, primum & altiffimum obtinet locum Arx, putei profun-
ditate, reliquisque deſenſioni atque habitationi neceſſarijs
munita, ad cuius aſcenſum protuberantes in media ciuitate
tumuli facilem viam aperiunt, atque ſternunt. Arcem dein-
de excipit ciuitas, Furſtenbergicorum palatio nobilis,
quod reliquas ædes iucundiffimo ſuo proſpectu & aeris ſalu-^C
britate longè ſuperat. Denique in inferiori colle aſpectui ob-
ijcitur S. Laurentij, ordinis Præmonſtratenſis Abbatia, hor-
tis ac ſyluulis mire ſolitariorum animos recreantibus circum-
data, ex qua Sanctorum Colonienſium Catalogo adſcribitur
B. Richardus Anglicus, cuius natalis eſt tertio Kal. Ianuarij.
Vide Natales SS. Ord. Ciſterciens.

Nunc porrò Arnsbergenſium Comitum Genealogiam ^D
ſimul & Ritbergenſium ex Archiuis Weſtphalicis erutam
dabo.

Anno Chriſti 660. floruit Guntherus de
Arnsberg, atque anno Chriſti 935. ludis e-
queſtribus interfuit Otto Comes de Arnſ-
berg.

Anno

A Anno 1007. celebris fuit Godefridus Comes Arnsbergensis. Circa annum verò 1050. clarus Fridericus senior Comes in Arnsberg, cuius vxor fuit N. filia Ottonis Bauari soror Henrici Crassi,



D habebat illa sororem alteram nuptam Ottoni Cappenbergensi Patruo S. Godefridi, ac tertiam matrimonio iunctam Hermanno de Caluele, seu Rauensbergensi, ex quo Otto, atque Henricus de Rauensberg prodierunt.

A Friderico ac Bauara quatuor numerantur

rantur filii procreati. Primus **F** Fridericus ^A
 ab inquieto animo, dictus Bellicosus, Bellū
 enim gessit contra Fridericum Colonien-
 sem, anno 1102. quo tempore ab Imperato-
 re proscriptus fuit; Burchardum cepit Mo-
 naster. anno 1105. Castrum Weuelsburgēse
 instauravit ac muniuit anno 1122. Tandem ^B
 cum improbius piis Generi sui S. Godefri-
 di Cappenbergensis conatibus obsisteret,
 in prædicti castri, quo & S. Norbertum te-
 nebat conclusum, obsidione mortuus, an-
 no 1123. Alter Friderici senioris filius Hermannus inter-
 fuit prælio Wolfingholtensi, sub annū 1115. contra Henricū ^C
 V. Imperatorem suscepto. Tertius Friderici senioris ex Ba-
 uarâ filius Henricus in Italia fuit cum Henrico Imperatore,
 & apud Pontificem pro Imperatore obsidem egit, anno
 1112. Quartus Friderici senioris filius Godefridus de Kuick,
 qui cum fratre Hermanno occidit Florentium Nigrum
 Hollandiæ Comitem.

Friderico Bellicoso liberi fuerunt. ^{1.} N. ma-
 trimonio iuncta S. Godefrido Cappenbergensi. ^{2.} Sophia
 Nupta Bernhardo III. Lippiensi, ac tertius **C** Conra-
 dus Comes in Arnsberg, qui in prælio con-
 tra Bernardum Episcopum Paderbornen-
 sem suscepto, occubuit circa annum Chri-
 sti 1143. Reli-

A Reliquit Conradus hæredes, Godefridum
Comitem in Arnsberg; & Comitem (D) Héricum D
fundatorem monasterij Wedinghausani
Canonicorum Præmonstratensium, in quo
ipse tandem neglectis mundi honoribus
monasticam professus vitam, fatis conces-
B sit, anno 1157.

Henrico fundatori Wedinghausano ex
coniuge, quantum conijcere licet Agnete
de Rudenberg & Stromberg tres fuere fi-
lij, ac duæ filiæ. Quarum Senior N. Simoni nupta
Comites dedit Tecklenburgicos, cuius Simonis progeniem, ^{Stirps} Tecklen-
C vt propter Patriæ historiam paulo altius hic repetam, sciat ^{burgicâ.}
velim Lector: ab Henrico Comite in Ritberg, eiusque con-
iuge Beatrice Suueua relicta Godefridi Cappenbergensis
vidua, prognatam fuisse filiam Eilicam, quæ nupta Elimaro
II. Comiti Altenburgico florenti circa annum 1120. qua-
tuor peperit liberos: I. Christianum Altenburgicum mari-
tum Cunegundis vltimæ Comitis in Loken, *ex qua tum iunio-*
rem genuit Christianum, qui in pugna Harterico Archiepiscopo Bre-
mensi contra Frisios datâ occubuit, tum Mauritium, qui ex filia Comi-
D *tis Swalenbergensis Oldenburgicos Comites ac Dania Reges procreauit.*
E reliquis tribus tuere. II. Otto Præpositus Bremensis, ac III.
Henricus Altenburgicus, qui ducta in coniugem Salome
Geldrâ filium genuit Henricum Humilem Anno 1234. oc-
cisum. Demum IV. Eilica nupta Simoni Tecklenburgi-
eo, cui peperit Simonem Generum Henrici Fūdatoris We-
dinghusani, de quo hic, & cuius nunc reliquas proles persequar.

Ii Excel.

Excelsit inter eas (E) Henricus Nobilis Comes in Arnsberg, patronus monasterij Widinghaufani, qui vna cum vxore Ermgarde ibidem sepultus est, vt indicant hi in domo capitulari inscripti versus.

*Henricus Comes & Ermgardis Comitissa.
Quorum sunt ossa monumenti condita fossa
Hos Deus in regno faciat gaudere superno,
Namque fuerunt loci constantes huius amici.*

Vixit vterque adhuc anno 1203. post obitum verò posteritas vtriusq; memoriam honorifice excitato mausoleo coluit. Fuit huic Henrico frater Henricus Iunior, captus à fratre anno 1165. quâ de causa bellum graue indictum fratri, & Arnsberga obfessa captaque, sed frater iam squalore carceris obierat, relicto filio Henrico Nigro, ex quo Henricus itidem Niger Nobilis vir ab Arnsberg nominatus circa annum Christi 1263.

Deinde Henrici soror ALEIDIS HENRICI WEDINGHVSANI FVNDATORIS FILIA ADOLPHI ALTENANI COMITIS VXOR FVIT, ATQVE AVIA S. ENGELBERTI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS. Tum Godefridus ab Henrico Wedinghaufano fundatore profatus, qui cum cruce signatis in terram sanctam profectus est circa annum 1215.*

* Vide supra pag. 56.

Henricus quoq; Nobilis Comes in Arnsberg, Henrici filius ex coniuge Ermgarde, filiam genuit Ermgarden, ac filios Henricum, Hermannum à Rudenberg, de quo infra in prosapia Ritbergenfium,

TUM

A tum (S) Godefridum successorem, de quo il- 3
 lud in Cæsario lib. huius cap. 41. accipio mi-
 raculum, quod in eleuatione intestinorum
 S. ENGELBERTI accidit. Quamuis & hic
 Godefridus (S) cognominem habuerit fi- 6
 lium, cuius vxori Beatrici à Ritberg statu-
 B tum est Epitaphium in ambitu VVeding-
 hausano.

*Morte erepta iacet quondam Comitissa Beatrix,
 Hac fuit Arnsberg dominans, sed sanguine Ritberg.*

Huic Godefrido frater fuit Fridericus, ac soror Aleidis
 nupta Bernardo IV. Lippiensi Comiti: filij autem ex Bea-
 trice coniuge Ioannes Canonicus Traiectensis, Præpositus
 C Meschedensis, Godefridi naturalis pater, ac (S) Lude- 9
 vvicus successor, qui post fatalem suum an-
 num 1313. ex vxore sua Peronetta Iulia-
 censi reliquit (S) VVilhelmũ primogenitũ 3
 Comitẽ in Arnsberg, adhuc anno 1338. viuũ
 cuius primogenitus (R) Godefridus Mare- 8
 D scalcus VVestphaliæ Arnspergẽsem vendi-
 dit Comitatu. Obijt ipse 1371. sepultusq; in
 Mariano summæ ædis Coloniensis sacello.
 Huius Godefridi vltimi Patruï ac fratres Comit̃s Wilhel-
 mi fuerunt.

I. Godefridus ex Scholastico Monasteriensi, Osnabur- 1.
 gensis postulatus Episcopus, dein etiam Episcopus Bremen-

sis, cui hoc Stadæ in choro veteris monasterij S. Gregorii legitur inscriptum Epitaphium. ANNO DOMINI M. CCC. LXIII. IN DIE B. BARBARÆ OBIT VENERABILIS PATER DOMINVS GODEFRIDVS NOBILIS DE ARNSBERGE S. BREMENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPVS HIC SEPULTVS, ORATE PRO EO, QVI PER DVODECIM ANNOS MVLTAS INIVRIAS A SVIS FVIT PASSVS: SED TRIBVLANTES EVM GRAVITER A DEO PVNITI SVNT.

NB. *Vindicta diuina in tribulantes virū bonum.*

2. II. Fridericus Abbas Steinfeldensis curator & Archiepiscopus Bremensis.
3. III. VValramus Canonicus Aquensis, Præpositus Melcheden.
4. IV. Ioannes.
5. V. Gerardus Canonicus S. Gereonis.
6. VI. N. VWilhelmi & horum quinque Comitum Soror fuit professa ad S. Ceciliam Coloniae.

Huius verò ipsius Godefridi postremi fratres numerantur, VWilhelmus Præpositus Melchedensis, Conradus Canonicus Osnaburgensis, Mechtildis & Aleidis sorores.

Subtexo nunc Comitū Ritbergenſium profapiam, qui originē suam ducunt ab Henrici Nobilis & Ermgardis filio (AA) Hermanno de Rudenberg, Burgrauio in Stromberg, & Domino in Ritberg, filius eius (BB) Conradus Comes in Arnsberg, Dominus in Ritberg, genuit (CC) Fridericum Comitē Ritbergenſem, qui (DD) Ottonem reliquit hæredem, Otto (EE) Conradum Comitē Ritbergenſem; Conradus ex Beatrice Bronckhorſtiana ſuſcepit filias Aleidem in matrimonio collocatam Comiti Hoienſi, & Gertrudem nuptram Conrado Comiti Diepholdij, qui anno Chriſti 1426. in Friſia periijt, ſuperſtitibus liberis Ottone, Ioanne, Gerharde Archiepiſcopo Bremeniſi, & Conrado.

AA
BB
CC
DD
EE

Caput

A Caput Quadragesimum tertium.

De Sacerdote à calculo liberato.

SACERDOS quidam doctus & pius, calculi dolores ferens intolerabiles, votum fecit, si beatus ENGELBERTVS ipsum intra biduum curaret, se cum muneribus eius sepulchrum visitaturum. Curatus est ante biduum spe sua celerius, & promissi munus accuratè confecit. Ecce voti efficaciam.

Notatio ad Caput Quadragesimum tertium.

Bⁱ Manuscriptus Cæsarius Eckhardum & Eckhebertum Serchere.
Sacerdotem de Serchere nominat, & dicit in itinere ad sepulchrum Martyris in domo vallis S. Petri miraculum sibi Cæsario retulisse.

Caput Quadragesimum quartum.

De Famulo in castro Hamerstein à Paralyti curato.

C^e HENRICVS Abbas Hëmmenrodensis ex Ioanne Burggrauio ab Hamerstein didicit, quod dicturus sum: Quidam ex familia eius, Paralytic^o
fit sanus.
omnibus in castro illo notissimus, diu oppressus paralyti, vt audiuit miracula martyris ENGELBERTI, toto corde illum inuocans, votum suscepit. Ductus est Coloniam paralyticus, & inde ad castrum incolomis reuersus est.

Notatio ad Caput Quadragesimum quartum.

Dⁱ §. Ioanne Burgrauio de Hamerstein.

A^Rx Hamerstein oppido eiusdem nominis Rhenoque Hamerstein.
ex præacuta rupe impendet, suos olim proprios habuit Comites: nam in historia S. Heriberti vulgabo tempore S. Henrici Imperatoris vixisse Ottonem Comitem de Hamerstein, cuius vt incestuosi caput diris fuit deuotum, quique ob Vita S. Gothardi cap. 6.

Dioecesis Moguntinæ infestationem diuturna in arce sua ^A
Hamerstein ab Imperatore Henrico pressus obsidione.

Caput Quadragesimum quintum.

De Monacho à dolore dentium liberato.

Quidam
dentiū do-
lore libe-
ratur.

IN Saxonia monasterium est ordinis Cisterciensis, quod Cellam vo-
cant. Eius quidam frater adeò doluit dentes, vt somnum capere non
posset. Nocte quadam supra vires cruciari se sentiens, has preces fudit:
Domine Episcopo ENGELBERTE, si verum est animam tuam degere a- ^B
pud Dominum, adiuua me. Dixit sic, & obdormiuit. Postea euigilans,
doloris omnis expers deinceps fuit.

Caput Quadragesimum sextum.

De puella paralytica curata.

Paralytica
sanatur,

IN Westphaliæ pago Hagenfi puella quædam pedibus ingredi non
potuit præ paralyfi. Diu sic vexata tandem perducì se petijt ad lo- ^C
cum, vbi beatus martyr occisus est. Vidit id vir quidam, & salutem eius
desperans, ait: Si hæc curata fuerit eo loco, quò proficiscitur, ego hoc
saxum (digito illud demonstrans) eò deportabo. Venit puella ad lo-
cum opratum, & sanata est. Vbi id comperit vir ille, nocte tulit saxum,
ne ab alijs irrideretur, & ad locum deportauit, qui inde sesqui milliari
aberat.

Notatio ad Caput Quadragesimum sextum.

Manuscriptus viro Saxifero nomèn tradit fuisse Harmu- ^D
dum.

Hagen.

Hagensis pagus itinere duarum horarum Geuelsbergio
abest, quem supra ad caput 5. lib. 2. innui, datum in antichre-
sin, iuxta literas, vt vocant reuersales Adolphi & Margaritæ
Cliuensium Marchiæque Comitum, eorumque liberorum,
Adolphi ac Theoderici, anno 1392. 2. Maij.

Caput

A Caput Quadragesimum quartum.

De puella Wassenbergensi cæca.

A Lia puella alterius loci annos aliquot utroque oculo orbara fuit. NB. De in-
 Audiuit in somnis, si lapidem quendam suis humeris ferret ad lo- choata Ec-
 cum passionis beati martyris, qui cederet in structuram Ecclesiæ ibi clefia Geuels-
 tum inchoatæ, confestim ipsi lumen restitutum iri. Indicat hoc parenti- bergensi.
B bus: illi & sumptu & laboris itinere, tum quoque visionis incertitudi-
 ne absteriti, eam non audiunt. Tandem ad locum deducta, cum lapi- Cæca illu-
 dem illic deposuisset, mox ab eius oculis albugo prodijt. Inde domum minatur.
 sana reuertens, parentibus lætitiã, vicinis admirationem affert.

Notatio ad Caput Quadragesimum
septimum.

Manuscriptus patriam curatæ puellæ exprimit iuxta
 castellum Wassenberg. Rem verò
 gestam sibi inquit à veridico sacerdote
 relatam.

Wassenberga dicitur, quasi Wachs-am-
 berg, id est, ad montem exerescens; hoc
 enim oppidum à pede montis sensim
 cum cliuo ascendit seu assurgit. Vnde

Wassen-
berg.

D etiam in procul disiunctorum oculos incurrit, præsertim ipsius
 arcis specula loco paulum eminentiore ædificata. Primum
 Geldris paruit Comitibus. Quare ibidem Comes Geldriæ
 & Zutphanæ Gerlaeus secundus (ut testantur manuscripti Co-
 mitum Geldrensiū) seu Gerardus I. uti eum nuncupat Petrus
 Scriuerus ex Harano in additionibus ad Henrici Aquilij Chronicon
 Geldriense, cum vxore sua Hedwige, Florentij Hollandiæ
 Comitis filia templum excitauit, in quo post obitum suum
 sepul.

De Waf-
senberg.
Limburgo
& illorum
successio-
ne itemq;
de prælio
Woring-
gano.

† alias Bu-
runcum,

sepultus, anno 1131. Quin & illic à Gerardo II. (qui Henrico A
Patri suo successit, vel ut vult Henricus Aquilius, *unanimo om-
nium consilio fuit electus Comes Geldriae & Zutphaniae anno 1161.*)
Collegium Canonorum est institutum, in quod anno 1180
Comitis defuncti corpus delatum etiamnum asseruatur. Ita
manuscripti & Scriuerus ad Gerardum II. Quod igitur fundatum
Collegium docet Streithagenus *in syntagmate Prouincia Iulia-
censis*, de templo tantum extructo intelligendum, non de ipso
Collegio; hoc enim multò post à Gerardo II. fuit ædifica- B
tum. Deinde ipsa vrbs in Ducum Limburgensium iura vi-
detur abiisse. Ita enim literæ Monasterij Heinsbergensis ab
anno 1212. attestantur. *VValramus Dux Limburgensis, Henricus &
VValramus filij, Gerardus frater eius de VVassenberg &c.* Postmo-
dù à morte Hèrici Ducis Limburgensis sine liberis seu hæredi-
bus suis (vt infra ex ICto. ù mente explicabo) defuncti, grauis
orta est de successione cõtentio. Vindicabat eã sibi Reinoldus
Comes Geldriae, quod vxor ipsius Irmgardis filia esset Wal- C
rami Ducis Limburgensis & neptis Henrici, ideoque Hen-
rico Duci Limburgensi ante prælium Woringanum vendi-
derat. Contra Adolphus Comes Montensis frater Cunigar-
dis defuncti Henrici nepos, suam assererat, tradebatque Io-
anni Duci Brabantia, qui bello contra Reinoldum susce-
pto Limburgensem Ducatum cum Wassenberg & Supff si-
bi comparauit. Captus enim in prælio iuxta † Woringam
arcem, fortissimum prædonum receptaculum, secundo ferè D
infra Vbios lapide dissitam Reinoldus iure suo, quod sibi
in Ducatum Limburgensem & Wassenbergensem com-
petebat, interposito iureiurando, cessit, vt Brabantinorum
custodia leuaretur. Sed placet audire ipsum, recentiorem
licet, manuscriptum librum, quia & valde genealogiam
supra pag. 167. & 169. allatam illustrat. Ita enim inquit; *Ve-
rum Henricus filius Ducis Limburgensis, qui Ducatum Limburgen-
sem*

sem cū fratre suo VValrauo possidebat, * Margaretham, ita enim habent diplomata
A ducebat uxorem Irmgardim * uni- Ecclesiæ ad SS. Apostolos Coloniae data sub
 cam hereditariam filiam Comitissæ de ann. 1267. Nos Adolphus Comes, Nos Margaretha
 Monte (nim. Adolphi fratris S. mater eius & Nos Elizabeth vxor: Et S. Seuerini
 ENGELBERTI) ex qua Irmgarde de anno 1264. ratione bonorum in Sunris-
 duos filios suscepit, Adolphum & dorff: Margaretha Comitissa de Monte, & Adolphus
 VValramum, Adolphus senior frater primogenitus eius.
 malebat Comes de Monte esse; ideoq; Aliæ ex S. Seuerini Archiuo de anno 1246.
 comitatum illum sibi reseruabat, & sic referunt: sigillis venerabil. Patris C. (id est,
 dabat VValrauo fratri suo Comitatu Conradi) Dei gratia Coloniensis Archiepiscopi, Do-
B Limburgensem. Hic Adolphus gene- mine I. (videtur esse Irmgardis) Ducisse de Lim-
 rabat filium etiam Adolphum, plu- burg & Comitissa de Mōte, & Dominorū A. & W.
 resque filios, & unā filiam, quæ à ma- (id est, Adolphi & Walrami) filiorum eius, ne
 tris nomine Irmgardis (Cunigardis) prescriptum factum à quoquam infringi possit, pra-
 vocabatur, & fiebat postea Comitissa sentem paginam rogauimus communiri. Vnde vi-
 Marchia, vxor Euerhardi de Mar- detur binominis fuisse. Quod verò aliæ lite-
 ca. Porro hic ultimus Adolphus de ræ de anno 1244. habent, vt refert Miræus;
C Monte, qui frater erat Irmgardis Henricus Dux de Limburg. C. de Monte & Kunc-
 Comitissa de Marchia, cū VValra- gardis Ducissa & Comitissa ibidem. Viderur
 uus parentis sui frater obisset, eius Amanuensium errore nomen variatum, pro-
 que unica filia (*) Comitissæ Geldria pter affinitatem literarum antiquarum, quæ
 † vxor sine prole obiret; tunc A- habent (Irmgard.) Kungard. & Irmgard.
 dolphus, vt rectus haeres & successor Fuit autem ipsa filia Adolphi fratris S. EN-
 in Ducatu Limburgensi, vt nuptias GELBERTI. Vide supra pag. 14. & 168.
 conciliaret inter fratris sui Henrici (*) Irmgardis, quæ dicitur Haræo lib. 31.
D filiam, & Ducis Brabantia filium, & Principum Brabant. filia vnica Henrici; At
 summam pecunia à Duce Brabantia Meiero, soror illius.
 acciperet, tradidit Duci Ioanni Bra- † Reinoldi.
 bantia Ducatum Limburgens. & po- NB. Hēricus nō vixit amplius an-
 stea commissum est pralium in VVor- no 1282. vt constat ex literis Adol-
 ringen, ubi Dux Brabantia, Comi- phi Comitissæ de Mōte anno 1282.
 tem Geldria capiebat, ubi etiam A- datis, & paulo post traditur. Præ-
 dolphus lium autem Woringanum con-
 tigit, anno 1288.

dolphus de Monte Archiepiscopum Coloniensem capiebat. Et infra
 manuscript. in Reinoldo I. Comite Geldria ait, anno 1287. **A**
 * Error hic est, ut iam ostēdetur. * mortuus est Henricus (qui Lazio & Aquilio dicitur Herman-
 nus) Dux Limburgensis absq. prole, quæ scilicet SVVS foret heres,
 Nam Adolphus filius, ex quo filius illi Adolphus superstes,
 videbatur primo emācipatus, quod illi permiserit Comitatu
 Montensem; deinde iure suo in Limburg renunciaffe, cum
 Montensem terram ducatu Limburgensi antetulerit. Quā-
 uis ego non tam subtiliter ex iurisprudencia differere Histo- **B**
 ricos arbitrer, sed Ducis Limburgensis sine liberis defuncti,
 nomine deceptos, Henricum indigitasse, cum reuera ipse ef-
 fet Walramus, Henrici filius, quod & videtur aduertere
 Chronicon Magnum Belgij. Ita autem Comes Adolphus
 de Monte in literis suis ad Rudolphum Romanorum Re-
 gem, anno 1282. feria 5. post Pentecostē datis; *Serenissimo Do-
 mino suo Rudolpho &c. Cum nos Ducatum Limburgensem, cum omni-
 bus bonis, quæ felicitis recordationis Dominus VValramus Dux Lim-
 burgensis patruus noster, nec non Domina Ermgardis filia sua, olim **C**
 Comitissa Geldria tenebant, dum viuerent, ad nos, ex morte verius-
 uebat am- que, tanquam ad legitimum heredem, deuolutum, donationis titulo
 pliūs, ut iā transtulerimus in Ioannem &c. Sed ad manuscriptum, vnde di-
 vidimus ex gressu sumus, reuertamur. Volebat verò, inquit, hic Comes Geldria
 literis, ac proinde propter uxorem suam Irmgardem de Limburg (quæ forte adhuc † vi-
 errat Meier uebat) proximus heres esse. Verum Adolphus Comes de Monte ven-
 qui vult eā debet actionem suam Ioanni Duci Brabantia. Vnde * Anno 1288. **D**
 obijisse, an- ipso S. Bonifacij prælium exortum ante VVorringen, in quo Comes
 no 1290. Reinoldus & Siffridus à VVestenberg Archiepiscopus Colonienſis ca-
 vel 1291. se- piebantur. Et cum Reinoldus Comes supra annum detineretur capti-
 pulramq; uus, Ducatu Limburgensi & VVassenbergo renunciauit; & præterea
 in Greuen- magnum lytrum pendere debuit. Et supra in Euerhardo Comite
 thal. Marcano.*

* Ita aliqui volunt. Sed alij hoc prælium rogatu ciuium Colonienſiū in mercimo-
 nijs ex arce impeditorum tradunt susceptum. Vide & hic infra.

- A Marcano. *Sequentibus temporibus componebat Euerhardus unio-*
nem & fœdus inter Ducem Brabantia, qui etiam Dux Limburgensis
erat, quem Ducatum ab Adolpho Comite de Monte emerat ex vna &
Colonia ex altera parte, quæ etiam eo tempore ab Archiepiscopo, qui
ciuitati vim, & iniuriam inferebat, dissidebat; Vnde bellum VVor-*
ringanum extitit, in quo Dux Brabantia, Comes de Monte, comes Lu-
lia, comes Marchia, & Coloniensis ciuitas victoriã obtinebant. Comes
de Monte, Archiepiscopum in prælio capiebat, Dux Brabantia comitẽ
Geldria. Comes Lutzenburgẽs. occumbebat cū fratrib. tribus VValra-
mo, Ioanne & Balduino, & Archiepiscopi fratre Henrico VVestenberg-
ensi, comes Marchia magnã cadem operabatur, ann. 1288. ipso S. Bo-
nisfacy, scilicet nonis Iunij, nõ vt habet Haræus V. Idus Iunij. Vi-*
de Scriuerum ad Aquilium Vbi subiicit; quod Geldria Dux E-
questris ordinis amplius mille præter gregarios milites innumerabiles
desiderauit (quamuis Iustus Lipsius Louanij libro z. ca. 9. quadringen-
tos tantum numeret) ipse Gelder in hostium potestatem venit cum Ar-
chiepiscopo, Adolphoque Nassouio Comite (qui postea anno 1292.
6. Ianuarij, Francofurti Rex Romanorum fuit creatus) & Walramo
Comite Falcoburgensi & N.....Comite Meursano. Atque hinc paulo
post dedita arx Worringa, funditusque excisa. Reinoldus captus non
ante liberari potuit, quam Brabanto ius suum Limburgense cessisset.
Quare omne, quod in Ducatum illum hæctenus prætenderat, solemni-
ter eiurat, & agente Philippo Pulchro Francorum Rege liber dimittit-
tur. Atque ita Wassenberga cum Ducatu Limburgensi ad Ioannem
Brabantia Ducem translata, postmodum à filio eius, quod Im-
perium noui Domini detrectaret, anno 1291. euerfa est. De-
nique post multorum Dominorum mutationem, anno 1498.
per Maximilianum Imperatorem Friburgi Brisgoia cum
Roda & Hertzogenradio Wilhelmo Iulia ac Montium Du-
ci in fiduciam seu pignus data; tandem anno 1544. ipsius
proprietas Iuliacensi Prouincia cessit. Prope abest Myrica
supplicio plurimorum infamis, vbi anno 1206. Philippum
cum Ottone Imperatore dimicasse putat Streithagenus,

* ita qui le
manufr.

Meyer Io-
annẽ vocat
Balduinũ.

* Necrologiũ

Franciscano-
rum Colon.

dicit: pridie

Nonas Iu-

nij, seu in

peruigilio S.

Bonifacy.

Vide supr.

pag 39.

quod locum pugnae commodiorem nullibi reperiat; Verum ^A si Godefridum consulas, iniquo & palustri planè loco ab Ortone pugnatum esse intelliges. Vnde non Myricam, sed locum aliquem paludosum congressui infelici existimo aditum patefecisse.

Caput Quadragesimum octauum.

De Monacho à Febri liberato.

Ager curatur.

MONACHVS quidam grauitè laborans, beatum Episcopum sic ^B appellauit: Memineris, Domine, me ab illo tempore, quo casus es, semper in Canone missæ tuum nomen expressisse. Itaque pro salute corporis mei te orare æquum est. Eadem nocte illi dormienti apparuit, iussitque sanum & incolumem esse. Expergefactus ilicò, è lecto sanus exit.

Notatio ad Caput Quadragesimum octauum.

SVriana editio omisit *Monachum Shunc Sibergensem* fuisse, ex cella Hircenhoue, & acutis id est, febribus laborasse.

Sieberg.

Sibergum nobilis est in rupe fortissima cum subiecto oppido Abbatia à B. Annone fundata, quam anno 1632. mense Octobri Deo nos flagellante hæreticus miles interceptit.

Hirtzenach.

Hirtzenhoue vna est ex Præposituris eiusdem Abbatia, prope B. Goaris ad Rhenum arcem & oppidum.



Caput

A Caput Quadragesimum nonum.

De Parocho S. Brigida à scabie liberato.

ANS ELMVS pastor Colonia ad sanctam Brigidam, vir doctus & bonus, adeò scabiosas habuit manus, vt lepram præ se ferre viderentur, nec ille præ verecundia cum quoquam cibum capere vellet. Admonuit eum sacerdos quidam, vt inuiseret sepulchrum martyris ENGELBERTI. Venit ad sepulchrum, imponit illi manus, votum facit martyri, & eadem hora, ipso admirante, tanquam squamæ quædam ceciderunt de manibus eius. Sed cum melius habere cœpisset, non stetit promissis. Redit scabies, & præuaricator voti redit ad cor: iterat votum, & ocyùs curatur.

Nota mi-
raculum, &
pœnâ votū
negligētis.

Notatio ad Caput Quadragesimum nonum.

SANCTÆ BRIGIDÆ Ecclesia vna est ex nouendecim Parochialibus vrbis Coloniensis annexa Abbatia S. Martini maioris. Parochia S. Brigidæ.

Anselmus verò videtur vnus fuisse ex iudicibus Apostolicis, qui vt refert Arnoldus Lubecensis lib. 7. historiae Sclauorum cap. 3. contra Adolphum Archiepiscopum Coloniensem erant designati. *Vide supra lib. i. pag. 34. lit. D.*

Caput Quinquagesimum.

De ciue Coloniensi à tumore hydropisis liberato.

DABBATE Eberbacensi nuper ad martyris sepulchrum orante, quidam ciuis ait ad eum: Meritò ad monumentum martyris nostri oras Domine Abba. Reuera enim in magno ille apud Dominum precio est, cuius ego in me virtutem mirabiliter sum expertus. Adeò enim hydropisi intumueram, vt medici spem omnem vitæ meæ abijcerent. Ego igitur multum eiulans quadam nocte, cum diu stetissem ante lectum Hydropici meum, toto pectore martyrem hunc inuocare cœpi. Deinde fessus, in mira curalecto paulisper obdormiui. Post expergefactus, dolorem & tumorem

Kk 3

omnem

omnem sentio euanuisse. Obstupesco tam in expectato miraculo: ex-
ploro, num humor noxius, dirupta pelle, in lectum dimanarit. Sed nec
humorem vllum in lecto, nec in corpore rupturam reperio. Itaque gra-
rias ago Deo, qui tam præclare ornat & illustrat electos suos.

Notatio ad Caput Quinquagesimum.

IN manuscriptis, Eberbacensis Abbas Reimundus appel-
latur, qui inter Conradum & Wernerum Abbates sextus
Antistes Aprifontanis vel Eberbacensibus præ fuit: septimus
Kalendas Nouembris dies eius emortualis notatur in Cata-
logo benefactorum Eberbacensium; ipsius Eberbaci supra
cap. 17. memini.

Reimundus
Abbas E-
berbacensis.

Caput Quinquagesimum primum.

*Miracula quæ in loco martyrij contigerunt & primo de viso noctu
lumine & crure carpentarij sanato.*

VENIO nunc ad miracula, quæ in Giuelsberg, vbi trucidatus est mar-
tyr, facta sunt, quæ ad me scripto comprehensa miserunt sacerdo-
tes eius loci, qui ea partim viderunt, partim auditione acceperunt ab il-
lis, in quibus patrata sunt.

Psal. 67.

Visio mi-
rabilis.

Cum præpotens Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, diuersis mira-
culis ENGELBERTI martyris sui merita declarare cœpisset, faber qui-
dam, vir bonus, cum filio suo 14. annos nato, intempesta nocte præ-
terijt locum illum, in quo beatus ille necatus fuit. Et ecce videt vterque
cereum insignem in ipso martyrij loco, vbi nunc altare extructum est,
flammis radiantibus ad mensuram cubiti vnus à terra eleuatum, qui
& tenebras, circumquaque illustraret, & tamen neque imbre, neque
ventorum flatu extingui posset. Mirantur igitur, & cum non ignora-
rent, quid visio illa sibi vellet, precandi causa ad locum accedunt: & ce-
reum quidem conspiciunt, sed nulla ratione possunt attingere. Mox
properant in pagum Swelme, & visionem indicant Bartholdo sacer-
doti.

Ea visio postquam diulgata est, quidam carpentarius non longè à
Giuelsberg habitans, cum toto anno crus eius planè exaruisset, eò ac-
cessit, terramque martyris cruore infusam, cruri alligauit, & post tri-
duum integrè curatus est.

Crus e-
mortuum
reuiuificat.

Nota-

A Notatio ad Caput Quinquagesimum
primum.

MAnuscriptus Walkinum nominat Fabrum, qui cum filio nocte intempesta martyrij locum vidit glorioso lumine illustratum, eiusdem luminis tertium laudat testem. Religiosum virum Eckbertum monachum Scheidanum, Geuelsbergi illa nocte præsentem. Quod de cruce carpentarij subijcit manuscriptus miraculum copiosè Suriana enarrat editio.

B Caput Quinquagesimum secundum.

De puella muta & languida curata.

MVLIER quædam cum filia, quæ semper clauda & muta fuerat, ad sacrum martyrij locum venit, & aliquot diebus cum lachrymis pro illa martyris opem imploravit. Et ecce muta loquitur, petit ouam à matre, illudque præcul ab ea allatum, propiùs ad eam accedens, hilariter accipit ex manu illius. Clauda' & muta curatur.

C Notatio ad Caput Quinquagesimum
secundum.

Miraculum hoc manuscriptus, aliquanto plenius refert; contigisse illud, inquit, cum adhuc ligneum sacellum in sacro Martyrij loco esset; deinde mulierem fuisse ex Hiddinghusen &c. miraculi testes sequentibus laudat verbis: *Huic duplici miraculo interfuerunt Plebanus de Gummersberg VV althelmus nomine, & Sacerdos quidam Capellanus Liuoniensis Episcopi, Euerhardus etiam Sacerdos de Sruelme, cum eiusdem villa Plebano Berchtoldo & Iohanne Subdiacono, qui omnes usque hodie perhibent iam dictam Puellam per martyris merita fuisse sanatam.*

Hiddinghusen satrapix Wolckmarsheimensis pagus est Hiddinghusen. & Parochia S. Huberti, subiectos sibi quatuor alios habet pagos & domicilia Nobilium Canstein & Spiegel.

Caput

Caput Quinquagesimum tertium.

A

De Sacerdote cuius manus à fœtore sanata est.

Cuiusdam manus dextera restauratur. **P**AROCIVS quidam manum dextram plusquam dimidium annum ad eò habuit ex morbo quodam malè olentem, vt tota hyeme ab offerendo Missæ sacrificio abstineret. Cùm autem in mentem ei venisset, beatum virum pro iustitia immeritò occisum, plena fide manum loco cædis admouit, & paulò pòst sanam retraxit.

Notatio ad Caput Quinquagesimum tertium.

B

Duna. **M**ANUSCRIPTUS Parochum à loco Tunēsem appellat (Tuna enim pagus est ad cognominem fluuium prope cœnobium veteris Montis.) Deinde in gratitudinis signum ac recordationem miraculi Bertholpho Svvelmensi Plebano chirothecam manus sanatæ fuisse transmissam. Contigit hoc miraculum antequam mentio fieret extruendi lignei sacelli.

Caput Quinquagesimum quartum.

C

De Sacerdote cæco qui ipsius beneficio visum recepit.

Cæco redit lumen. **S**ACERDOS quidam cæcus, procul è Saxonia venit ad hunc locum: & cùm humi prostratus, piè admodùm Deum & martyrem eius deprecatus esset, lumen amissum recuperavit. Non multò pòst pro gratiarum actione limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, itemque Iacobi adiit, ENGELBERTI martyris gloriam vbique prædicans.

Notatio ad Caput Quinquagesimum quartum.

D

Greuerode **P**RIMO occubitus ipsius anno, circa mediam quadragesimam sacerdoti huic Saxoni restitutum visum manuscriptus asserit, eundemque sacerdotem ante peregrinationem vltiorem aliquamdiu hæsisse in Greuenrode (Comitis novali) quod Nobilium Regulariū est cœnobium, irrigatumque dedu-

deductis è vicino querceto fontis riuulis, quem ab antiquis
A miraculis sanctum etiamnum nominant: abest haud mul-
 tum à Solingâ oppidulo ab optimis gladijs famoso. Virgines
 Greueradenles in Monasterio, præter reliquias SS. Sebastia-
 ni & Catharinæ prodigijs celebres, asseruant pictam à B. Lu-
 ca Deiparæ imaginem, cuius tum manus sanguine resperfa,
 tum reliqua effigies, ad pietatem intuentium animos cōmo-
 uet. Vidi literas Philippi Hinsbergici Archiepiscopi Colo-
 niensis, anno millesimo centesimo octogesimo quinto, in di-
B tione secunda, Lucio Pâpa tertio sedente, & regnante Fri-
 derico Romanorum Imperatore datas Coloniz /8. Kalend.
 Ianuarii, in quibus cœnobii huius, cum initiū, tum inter alia
 à Philippo referebantur: cœpisse quædam miracula diulgari
 patrata in sacello Greuenrode subiecto Parochiæ Walde.
 Ideoque Dominam Elisabetham Abbatissam Vilecentem
 monasterio ibidem à se fundato obtinuisse ab Archidiacono
 & Florentio Abbate Tuitiensi (decimo sexto in serie succes-
C sionis) libertatem atque exemptionem à parochiali iurisdic-
 tione. Hæc sunt, quæ allatis literis, alteris que biennio post
 cōsignatis Philippus approbavit. Testes in vtrisque nominat Bru-
 nonem Maiorem Præpositum, Adolphum Maiorem Decanum, Lo-
 tharium Bonnessem Præpositum, Conradum S. Scueri Præpositum,
 Gyselbertum S. Andreæ Præpositum, Th. SS. Apostolorum Præpo-
 situm, Brunonem Præpositum ad Gradus, Godefridum S. Gereonis
 Decanum, Gervasium Sancti Cuniberti Præpositum, Th. Decanum
D S. Mariæ ad Gradus, Ioannem Choriepiscopum. Nobiles Ottonem de
 Geldren Comitem, Theodericum Comitem de Cleue, Theodericum
 Comitem de Hochstaden, Ottonem de Wickerode, Reinerum de
 Froitprecht. Ministeriales, Gerardum Aduocatum Colonensem,
 Gerardum Snar de Volmutstein, Gosvvinum de Alfetra, Hermannum
 Camerarium, Wilhelmum Schillinck, Ger. Theol. Henricum de Sei-
 na, & fratrem eius Euerhardum, Arnoldum & Fridericum Comites de
 Altren, Florentium de Kempenich, Roricum de Nistere & alios.

LI

Quos

Quos omnes in gratiam veteres familias inuestigantium enumeravi.



Ex alijs relatu dignis in Greuero de extat vita venerabilis Virginis Catharinæ de Huckeswagen, quæ trecentis abhinc annis floruit, cuius vita alias publicum aspiciet. Haud prætereunda est reformatio monasterio circa annum millesimum quadringentesimum septuagesimum primum, efflagitatu Gerhârdi Ducis & Sophiæ vxoris à Roberto Bauaro Archiepiscopo Coloniensi introducta, per Adamum S. Martini Abbatem, Thomam Wail Coloniensem, & Ioannem Mangelman Nouesensem Priores, cõspirantibus cum illis Domina Catharina de Nesselrode Magistra, & Wintrude de Oxheim, Catharina de Binsfeldt, alijque sororibus. Hoc tempore etiam aperta fuit hierotheca inclusam seruans dictam B. M. V. imaginem. Hæc sufficiant de Greuenrode.

Caput Quinquagesimum quintum.

De muliere paupercula per eum illuminata.

Restitutio **P**ER id tempus etiam mulier paupercula, quinque annos cæca, eodem loco orans cum lachrymis & humi prostrata, lumen gratulabunda recepit.

Restitutio
cæcæ.

Notatio ad Caput Quinquagesimum quintum.

Cæsaris
Insula.

MAnuscripti asserunt hanc mulierem Werdensem iuxta Rhenum, id est, ex Cæsaris Insulâ oriundam, vbi

B. Syvi-

B. Swiberti viget Collegium. Claudunt hoc caput manu-
 A scripti his verbis: *Qua in vocem exultationis mox erumpens, Dei
 magnalia & B. Martyris merita predicare capit, & cum multa festi-
 natione Swvelm perueniens, tribus sacerdotibus, Adolpho scilicet de Vorda.
 Vorda (est pagus iuxta Swvelmam) Bertholpo Plebano de Swvel-
 me, atque Euerhardo socio eius, unigue Subdiacono gratiam circa se fa-
 ctam declarauit.*

Caput Quinquagesimum sextum.

B *De Paralytico per visionem ab eo curato.*

A NNO Christi millesimo ducentesimo vicesimo quinto, qui fuit Visionis
 pontificatus Engelberti annus decimus, vitæ verò quadragesi- miræ effe-
 mus, & cædis primus, apud pagum Swelme fuit quidam paralyti ad- ctus.
 modum afflictus. Is post multas calamitates perductus est ad locum
 hunc, in quo sæuitum est in martyrem, atque in ipsa parasceue nocte Monaste-
 intempesta orans, vidit beatum præfulem tanquam viuum pontificali- rium S. En-
 bus indutum, instar solis fulgentem, cum duobus viris clarissimis, qui gelberti in
 & ipsi magno vestium ornatu conspicui erant, ad eundem aduentare Geuels-
 C locum, eoque pariter illum circumire, indicare spatia, in quibus con- berg cæli-
 struendum sit monasterium, deinde simul disparere. Eius visionis tan- tus deli-
 tus fuit effectus, vt paralyticus se sentiret Beati ENGELBERTI meritis neatur.
 curatum.

Notatio ad Caput Quinquagesimum sextum.

D Q Væ hoc capite referuntur, ex veteri Coloniensis Ec- Æra Colo-
 clesiæ vsu inchoandi annos Christi à Paschate, biduo niensis,
 initium noui anni Coloniensis antecesserunt, & iuxta Ro- que,
 manam supputationem acciderunt, die 17. April. anno 1226,
 in quam tunc parasceue incidebat.

Caput Quinquagesimum septimum.

De veterano, qui gloria Martyris inuiderat.

Vindicta
cœlestis in
martyris
calumnia-
torem,

IN eodem loco, vbi martyr passus est, Crux lignea erecta fuit. Venit
autem eò veteranus quidam, & miraculis martyris obrectans, intra **A**
se ait: Quid est, quod video & audio? Homo iste tyrannus fuit, oppres-
sor pupillorum & viduarum, superbus & avarus. Adeoque gloriæ eius
invidit, vt nec Crucem illam æquis posset oculis intueri. Sed iustus
Dominus. repente igne cœlesti guttur & humeros liuidi hominis in-
flammauit. Mox ergò ducitur in ædes filiæ amicæ suæ, ibique per ordi-
nem omnibus confitetur, quid de martyre cogitauerit. Consulunt a-
mici, vt indutus cilicio, nudis pedibus (Erat autem tum hyemis ingens
frigus) ad locum sacrum redeat, precibus & lachrymis martyrem sibi **B**
conciliet. Facit sic, & post triduum integrè sanatur.

Notatio ad Caput Quinquagesimum septimum.

IN manuscriptis Veterano huic nomen Winandus de Ge-
uelsberg tribuitur.

§. In ædes filiæ amicæ suæ. **C.**

Manuscripti habent filiæ amitæ suæ.

Caput Quinquagesimum octauum.

De muliere qua indignè communicans dementata est.

Pœna in-
dignè Eu-
christiam
percipiētis.

FŒMINA quædam in Paschate cum cæteris sacrosanctam Euchari-
stiam percipiens, terribili Dei iudicio cœpit spumare, agitare lin-
guam, nec tamen quicquam posse eloqui. Ante communionem sanis-
sima fuerat: indignè accedens ad sacramentum, subitò in tantum de-
bilitata est, vt nullum membrum mouere posset. Ab ineunte enim æ-
tate admodum dissolutè vixerat, & multis onusta peccatis, tam salutæ-
rem medicinam prorsus imparata sumpsit. Itaque sacra corporis Chri-
sti communio non remedium ei attulit, sed tormentum. Periculosum
est ægro obstipato, vt medicina fortiter aluum ciente, nisi prius sumat
quippiam, quo peccans materia digeratur. Ita ergò peccator obstina-
tus & induratus, ne medicinam corporis Christi ad iudicium accipiat,
peccatorum virus & noxios humores contritione & confessione prius
dige-

digerere debet. Porro incrementum in fœmina, de qua agimus, cœlesti animaduersione, in somnis visio ei oblata est, qua didicit se breui curatum iri, si velit locum, ubi cæsus est ENGELBERTVS Episcopus adire. Difficiliter igitur & cum magno labore venit ad locum, moxque restituta, surrexit è lecto, & cibum potumque sumpsit, Deoque gratias agens, promisit se annum censum martyri illo in loco persolaturam.

Notatio ad Caput Quinquagesimum octauum.

B Manuscripti *Hildegundis*, inquit, *de Grutene oriunda*. Est ve- Gruten.
rò Gruten, pagus haud longe ab oppidulo Medtman, Dussela.
a'uiturque à fluuio Dussela, qui Dusseldorpio Montensis Dussel-
Ducatus Metropoli nomen indidit. dorp.

Caput Quinquagesimum nonum.

De puero ab infestatione curato.

C PVERVLVS quidam colli tumore ingenti & periculoso laborans, Vide mirū
non linguam mouere, non cibum capere, nihil neque videre, neque effectū mi-
audire potuit. Ea re miserè afflicti parentes eius, cum multis lachrymis træ Episco-
rogarunt, vt mitra beati martyris caput pueri tangeretur. O miram Dei pi.
gratiam! Mox vt mitra imposta est capiti infantis, tumores deturgent, S. Engel-
noxij humores euanescent, & priusquam paternæ domus attingat li- berrus oc-
mina, infans rotus reualefcit. Eam mitram in capite habuit Episcopus, ciditur mi-
cùm trucidaretur. Itaque sacro eius tincta cruore, malè habentibus af- tratus.
fert medicinam.

Notatio ad Caput Quinquagesimum nonum.

D Manuscriptus accuratior singulorum nomina exprimit. *In villa*, inquit, *Suvelme ad altare B. Petri deportatus est quidam puerulus Albertus nomine, Hildebrandi Vinitoris filius &c.*

Ll 3

Caput

Caput Sexagesimum.

A

*De Muliere ab angina liberata.*Morbida
curatur.

MVLIER quædam paupercula morbo vigente, è Turingia venit in Giuelsberg, non sine multa difficultate. Laborabat illa angina, toto anno lusca fuit, sinistra manus exaruerat, pedem podagra infestabat. Tot oppressa malis, prosternit se in loco, vbi occubuit martyr, orat cum lachrymis: non tamen impetrat sanitatem, sed spe impetrandi non destituitur. Redit post menses duos, & perfectè curatur. Gratitude ergò promittit annum censum martyri ENGELBERTO.

B

Notatio ad Caput Sexagesimum.

Eisenacū.

MANUSCRIPTUS Patriam huius mulieris nuncupat Eifennacke, quod oppidum est veteris Saxonie, Anno Christi 1073. ædificatum; vbi sub annum 1149. Adelheidis Landgrauia monasterio à se in S. Nicolai honorem extructo, prima omnium fuit præfecta. Sub annum verò 1188. ibidem Landgravius Ludovicus mitis visendum B. Georgio templum erexit; quæ vetusta Religionis nostræ monumenta hodiernæ hæreticorum factiones conspurcant.



C

Caput Sexagesimum primum.

D

*Visus cuidam restituitur.*Cæcus vi-
det.

QVO tempore euersum est castrum Comitis Friderici, qui fuit author cædis Episcopi, cuiusdam etiam mechanici domus, quæ iuxta erat, destructa est, & facultates omnes ei ereptæ. Quæ res ad eum do- luit, vt plorando oculos amiserit. Sexto cæcitatibus mense votum nuncupat B. ENGELBERTO, duosque oculos cereos secum ferens ad locum martyrij, vnius oculi sui lumen recipit.

Nota-

A Notatio ad Caput Sexagesimum primum.

Manuscripti in plurali loquuntur: *Cum munitiones Friderici destruerentur*; Insuper dicunt inæchanicum hunc fuisse operarium urnarum Godefridum nomine, cuius domus sita erat in pede montis Isenberg.

Caput Sexagesimum secundum.

De pauperculo à variis infirmitatibus liberato.

BPAUPERCVLVVS quidam in Westphalia septem annis non vno confictatus est morbo. Alterum eius latus emortuum erat, manus aruerat, lateris costæ confractæ erant, crus ad eò intumuerit, vt crassitudine ventrem æquaret. Duobus fultus scipionibus venit ad locum, vbi impij trucidarunt Episcopum ENGELBERTVM: preces supplices obtulit, & celeriter impetrauit quod voluit.

Multis affectus morbis, f. sanus.

Notatio ad Caput Sexagesimum secundum.

CManuscripti ita recensent: *Circa partes Vnna de piscina villa eiusdem Parochia morabatur Pauperculus quidam & cætera*, Vnnavv. prout in editione habetur Suriana. Vnna verò est oppidum Comitatus Marcani Lippiam ac Ruram inter, ad Aam fluvium ob singularis cereuisiæ cocturam famosum.

Caput Sexagesimum tertium.

De surdo curato.

DRESCEBANT eo in loco miracula, & permulti quotidie accedebant & recedebant, alij salutem expeturi, alij se eam adeptos gratulantes. Inter alios venit surdus quidam, qui decem annis nihil audierat: audit. sed videns hominum tum aduentantium, tum abeuntium frequentiam, animaduertit curationes fieri. Veniens ergò ad locum, vbi martyr occubuit, sanitatem adeptus est. Qui propius illi adstabant, audierunt rumpi pelliculas aurium, quibus meatus obstructi erant. Indè verò tantus consecutus est dolor, vt caput ytraque manu comprimendo,

cum

eum non nihil lenire cogeretur. Auditu recuperato, martyris gloriam ubique diuulgauit. A

Notatio ad Caput Sexagesimum tertium.

S. Inter alios venit surdus quidam.

A Dde ex manuscriptis: *Lagenarum artifex Euerhardus de Spurekhonele, iuxta castrum Isenberg oriundus.*

Caput Sexagesimum quartum. B

De Spastico sanato.

Spasticus
sanatur.

A VCEPS quidam brachijs & manibus spasmo laborans, multa loca inuisit, remedia multa adhibuit, sed nihil profecit. Venit tandem in Giuelsberg, & optata illic sanitate potitus est. Vt autem se martyri gratum declararet, annum censum se illi loco daturum recepit.

Notatio ad Caput Sexagesimum quartum.

Hulckro-
denfis arcis
vera deli-
neatio.

M Anuscripti: *Aucupem hunc & venatorem Conradū appellant ex Hulckerode iuxta Nouesium. Hulckerode Arx est & Comitatus venationi aptissimus, quē Archiepiscopi Colonienses emptionis titulo, acquisierunt, à Theoderico Louone de Cli-*



uis Comite Hulckradiano. De qua re sat longas vidi literas, quæ initio statim totum venditionis contractum sic enarrāt. In

In nomine Domini Amen. Vniuersis præsentis literas vi-
Auris & audituris in perpetuum. Nos Theodericus dictus Hulckro-
de emitur.
 Loiff de Cleue, Comes de Hulckrode, notum facimus quod
 Reuerendo in Christo Patri ac Domino Nostro, Domino
 Henrico Archiepiscopo Colonienſi, ſuis ſucceſſoribus, &
 Eccleſiæ Colonienſi, pro Nobis & hæredibus Noſtris matura
 deliberatione præhabita, & Noſtra ac hæredum Noſtrorum
 in hac vtilitate conſiderata, vendidimus & vendimus perpe-
 tuò per præſentes, iuſto emptionis & venditionis titulo, legi-
Btima & ſolemni ſtipulatione hinc inde interueniente, ca-
 ſtrum & comitatum noſtros in Hulckrode, nec non iuriſdi-
 ctiones, iura, redditus, Dominia alta & Baſſa, vaſallos, homi-
 nes, licones, decimas, aquas, piſcationes, nemora, aquarum
 decurſus, ac ſimpliciter & de plano omnia & ſingula, magna
 & minuta, in quacunq; ſpecie, ſeu in quibuſcunq; rebus Die Crure
bey Neuf.
 conſiſtunt, prout in longum & in latum à ripa dicta Crure iu-
 xta Nuſſiam, ſupra tam ex iſta parte fluuij dicti Arphe verſus
CRhenum, quam ex illa parte eiufdem fluuij verſus Mo- Die Arffe.
 ſam, ipſe Comitatus in Hulckrode ſe extendit, & pertinet in
 eundem, ſeu pertinere debet, & eo iure, quo Nos & Proge-
 nitores Noſtri ipſum Comitatum tenuerunt, &, vt ad eos, &
 ad Nos pertinuit ab antiquo pro, &c.

Caput Sexageſimum quintum.

De Muliere Andernacenſi ab inflatione curata.

DFOEMINA quædam Andernacenſis toto corpore inflata, decem & Inflata ma-
lis humo-
ribus cura-
tur.
 octo hebdomadibus immanes dolores pertulit. Vbi audiuit mira-
 cula ENGELBERTI, huiuſmodi votum ſuſcepit: Domine Deus, inquit,
 ſi per merita martyris tui curata fuero, nudis pedibus ibo in Giuelsberg,
 ubi caſus eſt. Indè intra triduum ſana effecta, fecit vt erat pollicita.

Notatio ad Caput Sexageſimum quintum.

In Manuſcriptis nomen huic foeminæ Hildegundis.

Mm

Ander-

Ander-
nach.

Anno 1174
Andernaci
reperit
corpus Va-
lentiniani
Impera-
toris.

ANdernacum vel an-der-Nath oppi-
dum, quod à Natha vel Netha amne
in Rhenum, quo alluitur, se exonerante
nomen saum est mutuatum, montium
iugis velut iucundissimi theatri orchestra
cingitur. Vbi anno à Christi natiuitate
quarto & septuagesimo supra millesi-
mum centesimum, Valentiniani Imperatoris cadauer cum
imperialibus insignibus reperit & exhumatum fuisse, nar-
rant Godefridus Pantaleonita & Gobelinus in Cosmodr.



Caput Sexagesimum sextum.

De Milite Paralytico, quem sanauit Martyr.

Paralytic⁹
reualescit.

NOBILIS quidam Andernacensis, diues & potens, multis annis to-
tus ex paralyfi decubuit. Erat morbus ille adeò vehemens, vt ci-
bum erectus capere non posset, sed pectori impositum iacens magna
vi tandem deglutiret. In somnis autem admonitus est, quodam in loco
ter ofulari humum, & tres offerre preces in honorem B. ENGELBERTI
martyris: ita enim fore, vt ilicò sanaretur. Ille visionem indicat vxori
& liberis, quam illi vt phantasticam irrident. Valde igitur afflictus, cum
lachrymis orat se ad locum designatum deportari. Parent tandem de-
precati, & cum ad locum perductus esset, ter se prosternit, & orat, to-
tusque fit sanus & incolumis. Deinde nudis pedibus cum vxore & pro-
libus se còtulit Giuelsberg, obtulit preces & munera, & annum quo-
que censam se daturum pollicitus est.

Notatio ad Caput Sex- agesimum sextum.

MAnuscripti & Suriana editio
satis concordant.

Caput



A Caput Septuagesimum septimum.

De liberato à surditate.

THEODERICVS vir nobilis, à teneris annis surdus, ad locum, vbi martyr passus est, spe salutis obtinendæ venit. Octo diebus illic in Surdus labore & precibus perdurans, integerrimè sanatus est: atque eum locum deinceps summo studio & deuotione atque annuis muneribus profecutus est.

B Notatio ad Caput Sexagesimum septimum.

Manuscriptis Suriana consonat editio.



C Caput Sexagesimum octauum.

De Campanario contracto sanato.

QUIDAM decem annis crura contracta & eneruata habuit. Is tandem duobus innitens scipionibus, ad hunc locum contendit. In itinere preces ab imo pectore fudit multis permixtas lachrymis, & in ipso passionis loco cum tanta se deuotione prostrauit, vt etiam citius, quam ipse aduerteret, sanitas ei restituta sit. Hoc miraculum quicumque viderunt, in martyris erupere laudes, altaque voce eum concelebrarunt.

Contractus restituitur.

D Notatio ad Caput Sexagesimum octauum.

Manuscript. hunc contractum describit: *Campanarium & Textorem de Puppendorp. ex illa parte Susatia.*

Mm 2

Caput

Caput Sexagesimum nonum.

De Virgine à vermibus corrosa.

Duo sanā- **V**IRGO quædam adeo fuit in facie à vermibus exesa, vt ipsi quoque
tur. parentes eam contemnerent & abominarentur. Sed id Deus non
 sustinens, patrem eius egregie flagellauit. Agnoscens ille, se ob filie con-
 temptum diuinitus puniri, confessus est sacerdoti, & cum filia vouit se
 ad locum, vbi peremptus est beatus ENGELBERTVS, profecturum. In
 ipso autem itinere ambo sanati sunt. Venerant cum illis viri amplius
 ducenti, qui omnes eius miraculi testes fuere.

Notatio ad Caput Sexagesimum nonum.

Vorde. **M**ANUSCRIPTI Azzelam appellant virginem ex pago Vor-
 da, quæ dictio vadum & traiectum significat eius pagi
 memini supra cap. 55. pag. 267.

Caput Septuagesimum.

De muliere à dolore dentium liberata.

Dolor de- **Q**UÆDAM fœmina diuturno dentium cruciata dolore, fabrum acci-
tium abi- quit, qui ei dentem extraheret. Venit faber, sed dum forcipe admo-
gitur. ta, nimium trahit, & dentem frangit, & mandibulam è suo loco eucl-
 lit. Tum verò misera illa nec cibum capere potuit, ita vt vita ipsa fasti-
 dio ei esset. Tandem inuocat beatum martyrem ENGELBERTVM, & e-
 ius meritis maxilla redit in locum suum, & dolor omnis facessit. Illa
 nudis pedibus abit in Giuelsberg, reddit vota, & annuam oblationem
 promittit.

Notatio ad Caput Septuagesimum.

Kettyvich. **M**ANUSCRIPT: Addunt patriam fœminæ Kettyvich, oppi-
 dulum ad Ruram fluuium munitissimo ponte celebre.

Caput Septuagesimum primum.

De Mercenario cuius lasum pedem sanauit.

HENRI

A HENRICVS quidam nimio vino obrutus, cum alijs corrivari cœpit, & probra iactare. A verbis ad enses ventum est. Interim ille apud talum in neruo dirè vulneratur, crureque ex eo vulnere contracto, ambulandi facultate destituitur. Quæ res ad eam inopiam illum adduxit, vt scipionibus innixus, stipem quotidie ostiatim emendicare compulsus sit. Vt verò comperit multos quotidie curari à beato ENGELBERTO, ad locum cædis eius profectus est: nec tamen tunc curatus est: sed cum spem non abijceret, & tertio non sine multa difficultate eo accessisset, post preces supplices DEO & beato ENGELBERTO oblatas, integrè curatus est.

Contractus
fit sanus.

B Notatio ad Caput Septuagesimum
primum.

MANUSCRIPT. Henricum hunc facit Mercenarium ex villa Rassengen, quæ Dominium est in partibus Flandriæ; nisi malis legere Rattingen municipium terræ Montensis.

Rassengen

Ratingen.

C Caput Septuagesimum secundum.

De Hildegunde ab inflatione corporis liberata.

NEC solùm ijs locis, quibus necatus & sepultus est martyr noster, signis & miraculis clarescere voluit, sed quanti apud Deum sit meriti, etiam in remotis locis, non rarò ostendit. In vrbe quadam faber vxorem habuit toto corpore adeò inflatam, vt hydropsi laborare putaretur. Sesquiannum illo incommodo ita male affecta fuit, vt omnis edendi atque bibendi appetitus planè prostratus in ea esset. Nocte quadam audiuit vocem in somnis: Si locum, vbi fusus est sanguis beati martyris ENGELBERTI, visitaueris, eius meritis mox curaberis. Indicat marito, quid audierit. Ille summo mane cum ea iter ingreditur: quod cum necdum medium confecissent, mulier planè incolumem se sensit. Id vbi maritus comperit, non ingratus tanto beneficio, pergit cum illa, venientesque in Giuelsberg, martyris gloriam prædicant, & miraculum diuulgant, hilariterque annum censum promittunt.

Mulier
morbidam
sanatur.

D Notatio ad Caput Septuagesimum secundum.

Mm 3

Fabrum

Huxaria.

FAbrum hunc Betzelinum & vxorem eius Hildegun-^A
dem tradunt manuscripti fuisse Huxarienses. Huxaria
verò oppidum est ad Vilurgim Abbatis Corbeiensis iurisdic-
tioni subiectum, quod olim Philippus Archiepiscopus Co-
loniensis in iniuriarum ab Henrico Saxone illatarum vindi-
ctam, incendio vastauit, vti narrat Gobelinus persona Cos-
modromij ætate sexta.

Caput Septuagesimum tertium.

De Virgine à graui aegritudine curata.

Virgo
morbida
sanatur.

VIRGO quædam octo annis morbi cuiusdam infestatione adeò de-
bilitata fuit & excruciatâ, vt absque alienis manibus nec edere, nec
bibere, nec loco mouere se posset. Adducta igitur ad locum, vbi beatus
Episcopus sanguinem fudit, mox vt illum attigit, sanata est.

Notatio ad Caput Septuagesimum tertium.

MAnuscripti Virginem hanc inquilinam dicunt pagi^C
Hagensis, cuius capite 46. memini. pag. 254.

Caput Septuagesimum quartum.

De Puerò mente capto & sanato.

1237.
Puer mète
captus
curatur.

HOc anno, qui est à Christo nato millesimus ducentessimus tricesi-
mus septimus, puer quidam annos plus minus sedecim natus, sed
mente captus, à matre ductus est in beati ENGELBERTI Ecclesiam, quæ
est in Giuelsberg. Stanti autem illi in eo templo, quidam sic ait: Abi
ad altare, & sublatis manibus ora beatum pontificem, qui illic sangui-^D
nem suum fudit, vt te sanet. Fecit ille, vt iussus erat, & curatus est.

Notatio ad Caput Septuagesimum quartum.

Mscr. Mo-
nasteriensis.

HÆtenus manuscripti Svvelmensis plerumque fidem
secutus, nunc quæ sequuntur ex Monasteriensis restituo,
quòd in illis prior deficiat.

Caput

A **Caput Septuagesimum quintum.***De Claudio quodam restituto.*

Eodem Coloniae die, ad tumbam eius Claudus quidam. Claudus
 ciuitati notus, erectus est, baculos quibus sustentabatur, erectus.
 ad sepulchrum Martyris suspendit.

Caput Septuagesimum sextum.*De Paralytico sanato prasente Henrico Archiepiscopo.*

Retulit mihi Dominus Henricus Archiepiscopus, quod
 Paralyticus quidam ipso prasente, in loco passionis eius Henricus
 sanatus est, de quo mihi plura retulit, ordinem videlicet sa- Archiepi-
 nationis eius, pro quibus omnibus Deo gratias agamus, qui scopus re-
 tantis miraculis Pontificem suum Beatum ENGELBERTVM stis mira-
 glorificat. culi.

C Finis miraculorum B. Pontificis & Marty-
 ris ENGELBERTI in loco passionis pa-
 tratorum.

**Notatio ad Caput Septuagesimum
sextum.**

*Ita finit manuscript. ex Bibliotheca Sanctorum Chrysanti & Daria
 D Monasteriensis. Quod sequitur Caput ex manuscripto Colo-
 niensis Carthusia vulgavit Surius.*

Caput Septuagesimum septimum.*D. Hermanni Steinfeldensis, de sanctitate ENGELBERTI du-
bitantis pœna & rursus sanatio.***VISIO IOSEPH SANCTI MONACHI.**

IOSEPH monachus Steinfeldensis admodum religiosus & pius, heb- Est hic S.
 domada vna ante eadem Episcopi ENGELBERTI, quadam nocte in- Hermanus
 tempesta Canonicus
 Steinfel-

dianus,
cuius vitā
habes 7.
April. apud
Suriū.

*Quod alio lo-
co habetur
apud Su-
riū 7. Apr
expressis ver-
bis hac visio-
nem expli-
catam esse
id intellige,
postquam in-
cubuisse,
vt hic.*

Punitur à
Deo, dū de
sanctitate
martyris
dubitat.
Sanatur.

tempeſta ſub dio ſtabat, in ſiderum pulchritudine Deum creatorem
contemplans. Cumque in lunam tum pleno lumine incedentem ocu- A
los intenderet, vidit aliam oriri lunam in plaga Aquilonari, cuius tan-
ta erat lucis præſtantia, vt alterius lunæ lumen propemodum obſcura-
ret. Stabat ea re attonitus: & ecce videt cœlum à dextris pateſcere, & in-
rer eam patulam cœli partem & lunam recens ortam, quæ iam cœpit eo
contendere, vbi apertum fuit cœlum, conſpicit effigiem gladij, breuis
quidem, ſed lati, quales ſunt Bauatorum. Deinde videt lunam, quæ ab
Aquilone ad Orientem aſcendebat, poſtquam gladium attigit, ſimul
cum illo ingredi in cœlum, qua parte pateſcebat. Hanc quidem viſio- B
nem etſi ille non intellexit, non tamen dubitauit magnum aliquid por-
tendere. Itaque ad lectulum anxius redijt: vbi cum paululum dormi-
tare inciperet, turbam quandam prætereuntem ſibi viſus eſt audire,
crebroque alios alijs dicentes: Eheu, cheu, Episcopus ENGELBERTVS
occifus eſt. Inde verò ſatis ille coniecit, quid viſio portenderet, ſed non
fuit auſus illi fidem commendare, dicebat enim apud ſe: Qui fieri po-
teſt, vt vir tam inſignis & potens, tanto ſemper ſtipatus comitatu, oc-
cidatur? Quòd ſi verò etiam id accidat, quis credat virum totum mun-
do deditum, cui ad voluntatem fluunt omnia, quique tot affluit deli-
cijs, ita continuò coronari? Sed non potuit, quod oſtenſum erat, non C
fieri. Itaque breui poſt cecidit vir tantus, ſuorum gladijs trucidatus,
pro quo, ne caderet, ſuas illi potiùs ceruices debuerant obijcere. Ea i-
gitur viſionis parte completa, nondum ſibi perſuadere potuit vir ſan-
ctus, vt erat ſemper ſibi ipſi ſuſpectus, martyrem eſſe tam citò in cœlis
gloria & honore coronatum. Facta eſt itaque vox ad eum: Pro eo, quòd
viſioni veriſſimæ fidei oculos aduertere noluiſti, dolebunt tibi oculi
corporis tui: nec ceſſabit dolor, donec oculos cereos offeras ad ſepul-
chrum martyris, & ex reſtituta ſalute eam, de qua nunc dubitas, certifi-
ſimè comperias veritatem. Vocem hanc ſecutus eſt oculorum dolor: D
ſed ſimulatque obrulit, quæ iuſſus erat, ad martyris monumentum, re-
pente dolor omnis euauit: præſtante Deo ac Domino noſtro, cui ho-
nor, gloria & imperium, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in
ſæcula ſæculorum, Amen.

Notatio ad Caput Septuageſimum
ſeptimum.

Hoc

A Hoc miraculum in Monasteriensi Eiffliæ manuscripto codice, alioquin integro, desideratur. Carthusianus manuscriptus cum Suriana editione conspirat. Videntur autem huius capituli verba, velut appendix adiuncta & descripta esse ex historia B. Iosephi Steinfeldensis viri singulari vitæ sanctimonia excellentis (*qui Steinfeldiam Diœcesis Coloniensis monasterium in Eiffliâ thesaurarius SS. Potentini, Felicis, & Simplicij corporibus locuples incoluit*) non ita pridem à Patre Chrystomo *Vonder Sterre* euulgata; cum eadem ibidem recitentur, atque à manuscripto ex Bibliotheca SS. Chrysanthi & Dariæ mutuato prætermittantur. Tempore tamen, quo visio contigerit, differunt.

Nam Cæsarius, vel quisquis, eius nomine, hanc appendicem adiecit eam vna vult antecessisse hebdomade; at author vitæ S. Hermanni apud Patrem Chrystomum oblatam dicit, & bene, Iosepho visionem quatuor circiter hebdomadibus ante martyrium S. ENGELBERTI. De qua temporis varietate Eruditior consultus vir ita in suis ad me sentit.

Sequitur Disceptatio de gemina luna à B. HERMANNO visa.

A Nno, inquit, Christi 1225. plenilunium Paschale fuit 28. Martij, ac plenilunium, quod præcessit mortem S. ENGELBERTI erat 20. Oct. Ipse autem S. Martyr occubuit post neomeniam Nouembris luna 3. Vbi notandum est, quod plenilunium aliud supputetur in mathematica consideratione, ac restringatur ad vnum diem, & aliter vsurpetur in oculari visione, nam post primum quartale luna naturaliter crescere solet, & postmodum decrecere paulatim ita, vt 14. diebus luna suo in fulgore consistere dici queat. Quoniam igitur tempore B. Hermannus viderit suam, non ita præcise potest determinari. Quod autem vnus textus, apud Surium 7. Aprilis, habet de quatuor hebdomadibus plus minus ante S. ENGELBERTI cædem, intelligi posset de primo quartali Lunæ circa 13. diem Octobris.

Et quod alter textus, 7. Nouemb. refert de vna hebdomade, reduci debet ad vltimum quartale die 27. Octob. Ceterum si scrupulosius plenilunium inuestigemus, iam diem illi designaui. Crediderim verò hanc visionem accidisse nocte illa, quæ lucefcit in festum S. Vrsulæ & sociarum

Na

rum


rum VV. ac MM. quas B. Hermannus habuit inter præcipuas Patronas, & quas singulari veneratione prosequi solebat, ita vt videatur etiam vigilijs sacris ad hoc festum se præparasse. Ita sentio 23. Julii 1633.]

Hactenus, quem consului vir eruditus, quibus alio etiã cum amico meo S. ENGELBERTI per quam studioso communicatis, hoc, quod subijcio, & approbo, responsum abstuli.

Principio statuendum est, B. Hermannò Steinfeldensi visionem de S. ENGELBERTI Martyrio ac beatitudine circa medium noctis, quo matutinæ recitantur horæ, fuisse oblatam. Id enim apertè scriptor vitæ B. Hermanni, capite 59. indicat. PRIMA, inquit, VIGILIA NOCTIS, B. Vigilijs autem noctium, non ea ratione, qua illas olim Romanorum castra, aut suo ævo conformiter Christus Lucæ 12. 38. sunt partiti, diuides; Sed Ecclesiæ ac Religiosorum more. Quod sequentibus author innuit verbis; Ait enim, IOSEPH VERÒ VISIONE PERTERRITVS CVM AD LECTVM PROPRIVM REDISSET &c. & capite 33. IOSEPH NON INTELLIGENS VISIONEM, CVM ANXIETATE CORDIS AD LECTVM EST REGRESSVS, &c. Ante igitur Religiosorum more incubuerat; sed interpellata quiete, ad eandem, soluto nimirum, præter singularem animi sui pietatem, officio Diuino reuertebatur. C

Deinde nec negari potest, B. Hermannum in nocturna sua contemplatione Steinfeldiz ita sub dio constitisse, vt medius inter veram lunã, ac diuinitus oppositam lunæ imaginem hæserit, adeò vt si ad alterutrum sidus oculos torqueret, ab illo post auersus ad alterius obtutum necessario conuerteretur. Ait enim B. HERMANNVM CONVERSVM FVISSE AD ALTERVM LVMEN VIDENDVM. Nã à Luna vera ad meridionalem plagam fulgente auersus, & postea conuersus ferebatur ad alteram in Aquilonari regione cœlitus ostensam. Quo igitur situ, qua plaga hic S. Hermannus lumen præter naturam sibi ostensum conspexerit, dubium esse non potest, cum dilucidè id author prodat cap. 59. SUPER EVDDEM LOCVM, inquit, ei VISIONEM OSTENSAM, IN QVO GLORIOSVS MARTYR CALICEM SALVTARIS BIBITVRVS FVERAT. Clarius & accuratius cap. 33. vbi B. Hermannum Aquiloni obuersum, docet à dextris hiatum seu aperturam firmamenti, à sinistris verò lunã aspexisse prodigiosam, quæ cœperit magis in orientem, versus cœli hiatum vergere, atq; in aduersum gladium incurrere, vsque dum immoto cœli hiatu recepta supra Geuelsbergam dispareret, quo in loco & visio & casus, quem portenta referebant, suere consummata. Chasmatism igitur

A tur cœli, gladijque inde penduli locus, fuit punctum id, ex quo spirat
 Melaquilo, vt eum nuncupat Guilelmus Casanatus, vel vt alij, quarta
 Græci versus Tramontanā, diciturq; nautis Nordost ten Norden. Verū
 quō loco orta sit cœlestis luna, aut vnde digressa ad firmamenti hiatum
 accesserit, non omnino perspicuum est ex verbis authoris. Dicerē Co-
 lonia, cui B. Martyr præerat? dicerem Susato, Vnde recta veniebat Præ-
 sul mox in monte præmonstrato interimendus? Prohibet id Colonia
 situs. Prohibet & vrbis Susatensis, Steinfeldæ si conferatur. Nam si Co-
 lonia profectum lumen in Geuelsbergam migrasset, non ab Aquilone
 in orientem; sed à meridie in Aquilonem contendisset. Si verò ab Susa-
 to Geuelsbergam versus motum fuisset; tum sanè ex oriente in occi-
B dentem, aut quod magis cum Scriptoris verbis pugnat, ex oriente in se-
 pteatrimonem progredi Beatus vidisset, Vtrumq; autem absurdum esse,
 ostendunt subiecti schematis Geographici lineæ. Vt igitur ab Aquilone
 in oriente feratur Lunæ prodigiosæ cursus, hæud alius hic à me ipsius
C ortus & initium pro-
 gressus assignari potest
 præter Essendiam, cuius
 patrocinium S. ENGEL-
 BERTO fuit Martyrij oc-
 casio. Hæc de loco ortus
 Lunæ martyrij prænuti-
 Nunc veræ lunæ situm,
 qui per ad tēporis fuerit,
 indicabo. Expediet tamē
 prius, quæ dicta sunt,
 Topographico exhibere
 schemate, quo & ipsa
D clariōra legentibus eua-
 dant, & quæ sequuntur
 de Lunæ nostratis situ,
 facilius intelligantur.
 Est igitur schema tale ex
 accuratis Gerardi Mer-
 catoris eo in genere ver-
 satissimi dimensionibus
 excerptum.



Iam verò, quod ad lunæ veræ situm ac locum, habitâ Steinfeldiæ ratione, spectat; certum est, eo anno, quo ista euenere, æra Christi vulgata, fuisse Annum M, CC, XXV. fuisseque.

| | | | | |
|------------|----------------------------------|-------------------------|----------------------|------------------------------------|
| Cy- clū | Lite- ram | Plenilunium Paschale | Pascha lu- dæorum | Pascha Chri- stiano- rum. |
| Lu- næ | Do- mi- ni- ca- lem. | die | hor. min. | |
| 10. | E. | 27. Mar. 12. 49. | 27. Mar. fer. 5. 30. | Mart |

Quemadmodum R. P. Paulus Guldin Societatis IESV luculen-
ter demonstrat in quinque libris Refutationum aduersus Caluissii E-
lenchum, qui volet, adeat librum eius 3. cap. 7. & Annotationem se-
xtam in appendice dictorum librorum. Illudque ipsum Astronomi-
câ viâ facile demonstrari potest ex Eclipsi Lunæ, quæ, referente Albe-
rico Monacho Trium-Fontium apud Mercatorem, accidit annis 9.
mensibus octo, demptis tamen horis ferè 12, ante sanctam ENGEL-
BERTI mortem, nimirum Anno 1216. bissextili. C. B, 8. Martij, die
martis ante festum Sancti Gregorij, durauitque à galli cantu ad ortum
solis. Posito igitur Paschæ plenilunio, quod supra dixi 27. Martij fuisse,
si ad diem, horam, minuta plenilunij paschalis, adiecerimus 206.
dies, 17. horas, minuta 8. pro septem Lunæ reuolutionibus in singu-
las Synodos putatis 29. diebus, horis. 12. minutis 44. perueniemus ad
Octobris 20. diem, 5. horam matutinam, 57. minutum, diei Lunæ,
qua fuit plenilunium, sole existente in primis gradibus scorpionis
nam

(nam 15. Septembr. hora 16. post mediam noctem, id est, vulgari calculo, hora quarta post meridiem minuto 12. eo anno æquinoctium autumnale fuit) ac Lunâ in primis gradibus Tauri Soli oppositâ; ita quidem ut si nocte plenilunium proxime antegressa B. Hermannus visum habuisset, tunc Luna vera ad meridionalem plagam B. Hermannino constitisset, cœlesti luci ex aduerso Aquilone opposita; sed ab eo tempore neque quatuor sunt hebdomades, quas auctor vitæ S. Hermannini requirit, neque vna tantum, quam à Cæsario volunt esse traditam, sed tres, vti ex Ephemeride subsequente est manifestum. Accedit, quod Author vitæ S. Hermannini, disertè aliud quiddam visioni S. Hermannino oblata adijciat, quod nos in tertiâ hac hebdomade sistere non permittit. Nam ANNO, inquit, MILLESIMO DVCENTESIMO VIGESIMO QVINTO CIRCA FESTVM S. GEREONIS &cæt. Propter quæ vltima verba, ab illius anni die 20. Octobris & plenilunio, oportet retro in præcedentem hebdomadam abire, quæ inter dictam diem, 20. & 12. Octobris interiacet propinquior festo Sancti Gereonis, quam sint feriæ Sanctæ Visulæ. Ista enim est quarta hebdomas ante mortem SANCTI ENGELBERTI. Siquidem eo tempore Luna vera complebatur ex die scilicet, 12. Octobris, hora post meridiem 6. minut. 46. quod dimidiata extiterat, atque ab eodem die luna gibbosa seu semiplena in Steinfeldensi horizonte cœpit conspicua lucere à vespere ad mediam vsque noctem, & deinceps etiam vltra mediam, pro accrementi ratione, ut tuto quemuis eius hebdomadis diem assignare liceat ostento circa medium noctis exhibitio. Quod si ad primam alteramve noctem post S. Gereonis festum allubet referre ostentum, dices, qui id delegeris, Lunam semiplenam occasui iam iam appropinquantem, in Aquario visam esse à B. Hermannino circa lineam horæ quartæ Steinfeldensis horizontis post meridiem. Si quis verò pleniorẽ volet, circa lineas horæ 3. 2. 1. pomeridianæ Lunam visui obiectam, confederanter affirmabit; pro ut lunam plenilunio propinquiorẽ fuisse arbitrario statuerit: dum tamen ex quarta hebdomade in tertiam non digrediat. Rem totam sub oculos pono schemate partim præcedenti Geographico, partim sequenti Ephemeride.

| | Hebdo- mades ante mor- tē S. Eng. | Lit. Domin. c d | Menfis O&t. 10 11 | |
|------|--|--------------------------|-------------------------|--|
| | | | | A |
| | | | | F. S. Gereonis. |
| IIII | IIII | e | 12 | D hora 6. post merid. m. 46. |
| | | f | 13 | |
| | | g | 14 | |
| | | a | 15 | |
| | | b | 16 | |
| | | c | 17 | |
| | | d | 18 | |
| III | III | e | 19 | O. hora 5. ante merid. min. 57. F. S. Vrsulæ. |
| | | f | 20 | |
| | | g | 21 | |
| | | a | 22 | |
| | | b | 23 | |
| | | c | 24 | |
| | | d | 25 | |
| II | II | E | 26 | C. hora 3. post merid. m. 8. |
| | | f | 27 | |
| | | g | 28 | |
| | | a | 29 | |
| | | b | 30 | |
| | | c | 31 | |
| | | d | Nov. 1 | |
| I | I | E | 2 | S. ENGELBERTVS moritur. |
| | | f | 3 | |
| | | g | 4 | |
| | | a | 5 | |
| | | b | 6 | |
| | | c | 7 | |
| | | d | 8 | |
| | | | | D |

Nec obest, quod author vitæ S. Hermanni cap. 33. scribat. Luna-
A rem globum eo tempore pleno & inoffenso lumine refulsisse; non enim plenam dicit Lunam, sed pleno & inoffenso lumine refulsisse, optimus suorum interpret verborum; cum quod ambiguitatis in PLENO latens, natum erat distrahere iudicium legentis, id omne sustulit Author adiecto illo INOFFENSO, vt qui suus esset sensus demonstraret, cælo scilicet sereno, nulla nube aut vaporibus implicitam Lunam radiasse. Neque officit, quod Cæsarius vna hebdomade ante mortem S. ENGELBERTI ait visionem habitam. Multis enim modis præsentem in controuersia certior est authoritas alterius, qui vitam S.
B Hermanni conscripsit. Primum, quod hic Cæsarij locus corruptus potuit, istius minime; cum ille non hebdomadam tantum designauerit numerum, in cuius descriptione procliue est errare; sed adiectione horum verborum, CIRCA FESTVM S. GEREONIS, amanuensium incuriam, si quæ obreperet, ostenderet qua ratione esset corrigenda. Quinimo proximum vero videtur, Cæsariū non vna sed iiii. scripsisse, quæ nota ab imperito manuscripti descriptore diurnando sit corrupta, cum rem tam certam sua ætatē Cæsarius ignorare haud potuerit. Huc facit, quod author vitæ S. Hermanni, ac Cæsarius eodem tempore, quo hæc
C gesta sunt, vixere, atque, vt non semel fatetur, familiariter etiam cum S. Hermanno sit versatus is, qui eius vitam conscripsit, quod de Cæsario vel auctore appendicis non aded affirmarim. Vide Chrysostrum van der Sterre in notationibus ad vitam S. Hermanni, vbi etiam Cæsarij locum de vna hebdomade reprobauit. Quod si fortè sit, qui nihilominus putauerit, locum Cæsarij haud emendandum esse, quasi alias cum pleno lunæ lumine non coincideret, nisi vna hebdomade ante mortem S. ENGELBERTI visionem accidisse rescriberet; attamen is nequaquam efficiet, plenilunio hanc ipsi obiectam visionem, vt ex ephemeride apertè colligitur, sed Luna demum deficiente & cornua sua ad
D occasum vergentia proferente, id est, vt cum vulgo loquar, vltimo lunæ quartali. Ideoque aspectus hic vel quadratus fuit vel sextilis. Atque ita si Cæsarij auctoritatem sequeremur, alterutrum horum foret admitendum, scilicet visionem S. Hermanno aut Luna emergente supra horizontem Steinfeldensem, aut certe diurno tempore fuisse oblatam; quorum vtrumque est absurdum, & ab ipso Cæsario reiectum. Sed ecce, dum auctorem vitæ S. Hermanni iterum inspicio, hanc meam sen-
sentiam

tentiam de visione non in plenilunio, sed tempore plenilunium antecedente facta, paucis verbis expressam inuenio cap. 33. ita enim scribit: ^A
 VIDIT ALIAM LVNAM ORIRI, CVIVS CLARITAS TANTA ERAT, VT NATVRALIS LVNÆ CLARITATEM PERFECTAM PENE PENITVS OBSCVRARET. Commodè sanè, & ad rem. Nam si perfecta penè. Non igitur omni ex parte perfecta fuit & plena. Nec dicas, pene referri ad verba sequentia. Quis enim quæso horum verborum foret sensus? pene penitus obscurauit? Quare eam, quam proposui sententiam, manifestè Author expressit. Ac proinde relinquitur, quarta hebdomade ante, S. ENGELBERTI mortem ipsi præsignificatam fuisse, ^B
 & quidem si ita lubet, Luna in Aquario existente.

Sueton. in
 eodem
 cap. 16.

Illustriore sanè omine, quàm cum ad XIV. Kalen. Octob. Domitiano cadente, luna in eadem cœli parte existens cruentata est. Nam per meritum Sanctæ mortis à nostro Patro no obeundæ tantum luminis est adiectum, vt obscuraretur; in illius improbi morte tantum luminis detractum; vt cruciaretur; quò creatura suo, quo potest, modo detestaretur hominis in Deum impietatem; contra autem quàm maximè suffragaretur Martyris pietati. Quanquam & mihi non immeritò videatur ista lunæ obscuratio ex maioris luminis fulgore retundente minorem profecta, index quidam fuisse Colonienſis Ecclesiæ, imò vniuersæ Germaniæ Beati Præsulis morti illachrymantis. Vniuersorum enim oculis non turpi aliqua caligine, sed honestissimo lumine cœlesti, eoque felici perstrictis vbertim lachrymæ manabant. Quod vitæ nam aliquando cordibus nostris sparsum, & nos tibi & beatarum mentium sodalitati iunctos æternum recrearet! Verùm id omne nos tum feruentibus tuis S. ENGELBERTE apud diuinum nomen precibus, tum glorioso martyrij tui merito, quo afflictos Ecclesiæ tuæ clientulos in libertatem asseruisti, confidimus obtenturos.

EPILO-